

De Chronologia Orientalium.



38.39.40.41.42.43


2.288




Dissertationes De Epochis, annis et Mensibus Orientalium ab Illustrissimo et Doctissimo Abbate Domino De Longueruë Scriptæ



Ce Manuscrit a été donné à la Bibliothèque de Ste Geneviève le 19 Novembre 1770 par M. D'Ussieux, Ecuyer.

L'abbé Mercier

Dissertationes Sex
a Doctissimo juxta ac illustrissimo viro Domino Abbate De Longuerüe Scriptæ



De Anno Solari Macedonum

Usserius Cap. I. dissert. de anno Solari Macedonum Luculento Epistolæ Philippi Regis testimonio demonstravit Macedones inter annum 2.um olymp. 108. ac itidem 2.m olymp. CXI. quo Alexander ad Granicum Persas devicit Lunares suos et vagos menses Commutasse. nam cum Philippus laudatam Epistolam Scripsit, quam totidem verbis recitat Demosthenes orat. pro Coronâ Lous Mensis Conveniebat cum Boedromione Atheniensium, at sub Alexandro Certum est eundem Macedonicum mensem circa Solstitium Æstivum Collocatum Comparatum fuisse cum Hecatombæone attico.

Norisius Cap. 1. dissert. 1. de Anno Macedonum reprehendit Usserium quod asseruerit Macedones sub Alexandro Annum ex 365 diebus ac quadrante admisisse, Contenditque eosdem Macedones usque ad reformatum annum a Julio Cæsare Menses mere Lunares admisisse.

Si hoc verum est quod autumat Norisius vel annum absque fræno et retinaculo vagum impune quem errantem usurparunt ~~[illegible]~~ Syro Macedones qui spatio temporis necessario a fine ad Caput revolvendo redibit, quod affirmare nullus poterit, vel certe illis quemadmodum Atheniensibus aliisque Græcis mos erat, intercalandus erat mensis decimus tertius.

Sed sive Macedones, sive Asiani aut Syro Macedones Mensem intercalasse, vel Gorpiæum, vel Hyperberetæum nullibi legitur, nec vola nec vestigium in omnibus Antiquitatis Monumentis hujus Syromacedonici Asiatici aut Macedonici mensis intercalaris; non erat itaque annus Macedonum seu Ελληνων mere Lunaris. at quâ ratione dies interponebant quinque, ut annum Solarem Constituerent et Conficerent Macedones post Alexandrum reperire Arduum est et difficile. arbitror id fuisse pro variis regionibus urbibusque et forsan temporibus diverso modo actum.

Qui mensium sub Alexandri prioribus Successoribus triginta et uno diebus Constiterint demonstrari omnino non potest. recte igitur Norisius Cap. mox citato 2.o reprehendit Usserium quod Mensium Macedonum quosdam Tricenarios quosdam unius et Triginta dierum proposuerit in Diagrammate, eosque ab omnibus Macedonibus Asianis et Syris receptos docuerit a tempore Alexandri. nam Diodorus Siculus Lib. XVIII recitat Edictum Polysperchontis Alexandri Magni Ducis, quo nomine regio Græcis libertas donatur, ac Exules



suis in urbibus recipi jubentur πρὸ τῆς τριακάδος τοῦ Ξανθικοῦ μηνός praeterea in libro 2. Machab. Cap. XI. recitantur litterae Antiochi Eupatoris ad Judaeos datae, in quibus haec leguntur: his igitur qui Commeant μέχρι τριακάδος Ξανθικοῦ usque ad diem 30.um Xanthici damus dexteras securitatis.

Hinc patet, inquit Norisius, Xanthicum tum anno ante Christum 317. quo Exules Graecorum revocati fuerunt, tum Anno ante eandem Æram 163. quo Antiochi Eupatoris litterae scriptae sunt fuisse Mensem ex 30 diebus Constatum. Polysperchontem usum esse mensibus veris Macedonicis, Antiochum vero Syromacedonicis mihi quidem Certum videtur. Atque anni Mense sexto qui a Macedonibus dicebatur Xanthicus Exules revocati sunt. Securitas autem Concessa est judaeis Mense 7.º qui Xanthicus appellabatur a Syris. Hi igitur duo menses jam Tricenarii erant. praeterea Cum Alexander, teste Ejus Comite Aristobulo apud Plutarchum, obierit 30.^a^ die Mensis Dæsii qui 8.us erat, hunc Mensem etiam fuisse tricenarium tunc temporis probari Censet Norisius. male igitur Usserius anni Macedonici formam juxta Diagramma suum fuisse a Macedonibus usurpatam, superstite Alexandro Asseveravit. Sed Cum hi tres Menses supra memorati fuerint saltem Tricenarii, ut liquet, annus Macedonum non fuit mere Lunaris ex alternis plenis 30 dierum et Cavis 29 Constans. quod si quis Contendat hos menses non fuisse lunares veres, sed populari modo quo Tricenarius numerus pro Cursu lunae sumitur. attamen non tolletur difficultas. nam 70.º Circiter Annorum Emenso Circulo rediisset annus iste Macedonicus Gressu retrogrado a fine ad initium, nisi beneficio Mensis 13: Embolymaei aliquo modo cum Annuo Cursu Solis Conciliatus fuisset, at Nullibi reperitur inter Macedones et Asianos mensem Embolymaeum usitatum fuisse. Ergo annus eorum non fuit Lunaris sive verus 354 diebus Constans aut 360 si Populari modo ordinatus.

Supra ex Aristobulo trigesimae Diei Mensis Dæsii memini, quâ historicus iste apud Plutarchum perhibet Alexandrum è vivis Excessisse. inde Norisius Dissert. 1. pag. 6.ta Dæsium solis triginta diebus Constitisse tunc temporis Concludit, sed non recte, ni fallor, nec ipsi proderit regerere in Diariis Regiis apud Laudatum Plutarchum, statim post 20 Diem mentionem fieri non ἐνδεκάτης φθίνοντος quae est index mensis triginta et uno diebus Constantis, sed δεκάτης. nam in istis Diariis non omnes omnino dies morbi Alexandri recitantur. quemadmodum autem τετάρτη φθίνοντος omissa fuit, ita ἐνδεκάτη omitti potuit. praeterea Alexandrum vitam Cum morte Commutasse τῇ τρίτῃ φθίνοντος traditur in istis Diariis, quibus hac de re nihil Certius aut simplicius

habere possumus, ut notat Usserius in Annalibus ad An: 3681. attamen 30.ᵘᵐ Die Expirasse Alexandrum disertis verbis scribit Aristobulus, cui, ut poto Regis sui individuo et fido Comiti, qua ratione fidem denegabimus? præsertim Cum Diaria Regia ab Eusdem Aristobuli et Regis Ptolemæi filii Lagi circa Morbum et funus Alexandri narrationibus non dissenserint, saltem ὃ πολὺ, ut docet nos Arrhianus sub finem libri 7.ⁱ profecto longe ab invicem dissentiebant si de die ipsomet Emortuali non Conveniebant, die, inquam, Notissimo omnibus historicis et Domesticis Regis Alexandri. Itaque si fieri possit hæ discrepantiæ Conciliandæ. dies quem 30.ᵐ vocat Aristobulus 29 etiam dici potuit ab aliis. nam Alexander Expiravit πρὸς τὴν δείλην ad Vesperam, Sole nempe occidente. Babylonii apud quos obiit a solis Exortu ad Exortum ejusdem anni diem statuerunt, ut docent nos Plinius lib. 2. cap. 77 et Censorinus lib. de die Natali Cap. 23. Hunc morem qui diaria Babylone scribebant servarunt, notarunt que diem 29 emortualem Alexandri. at Athenienses et plerique alii Græci diem definiebant a solis occasu ad occasum, ut docent nos iidem Plinius et Censorinus. Hunc vero Græcorum morem retinuit Aristobulus diem que 29 appellavit 30.ᵐ ut autem τελευτῶν φθίνοντος sit 29 Dies, 31. diebus Constare debet Mensis, non itaque Convenire potuerunt Diaria et Aristobulus a quo non dissentiebat Rex Ptolomæus, nisi Dæsius 31. Constiterit anno quo e vivis Excessit Alexander.

Norisius Cap. 1. dissert. 1. pag. 3. postquam asseruit anno demum ab urbe Condita 708. annum solarem receptum a Romanis, Cum Julius Cæsar Dictator idemque Pontifex Maximus luxata anni tempora emendavit, nullus dubito, inquit, quin ipsi quoque Macedones annos juxta lunæ motus eum que dierum ordinem in mensibus servaverint quem finitimi Græciæ Populi usurpabant. hoc verum est de temporibus quæ Alexandrum præcesserunt. Sed hos menses quos adhuc usurpabat Philippus sibi et aliis Græcis Communes, tempore belli Sacri immutatos paucis ab illinc Annis fuisse demonstratur beneficio Epochæ Prælii ad Granicum; hæc tamen 30 et 31, nempe dierum, (addit Norisius Pag. 5) in Mensibus Macedonum dispositio trecentis fere annis ab obitu Alexandri a Macedonibus Asiam Proconsularem incolentibus post receptam anni Juliani formam invecta fuit Cum Antiquitus, idest, usque ad Emendationem Julii Cæsaris apud Eosdem, singuli quique menses fuerint tricenarii. Sed hæc eruditissimi Norisii divinatio parum mihi felix videtur. nam si propter Emendationem anni a Dictatore Cæsare peractam, avitum et Continuâ nec unquam interruptâ annorum serie receptum morem Macedones Asiatici et alii Orientales aboleverunt, quare ipsi ut victoribus Romanis et orbis Domino Dictatori placerent, Juliani Anni formam non

receperunt, quod ipsis et victoribus et victis jucundum, utile, et peccommodum fuisset? Cur amabo, alias longe diversissimas a Julianâ Anni formas tunc excogitarunt Asiani et Macedones? profecto Romani qui ubique linguam et leges et mores suos ab omnibus admitti cupiebant, si aliquid in moribus subditorum immutandum fuisset, alienos aut novos recipi passi non fuissent. Subditis quidem suis avitis et priscis legibus uti Romani non raro indulgebant, fateor, sed parum probabile est novas fuisse introductas et receptas quæ a Romanis tanto dissidio discreparent.

At assertio Norisii ex ejusdem scriptis refelli potest. nam dissert. 4. pag. 326 ait ita: Tyrii ab Alexandro Zebena novo Rege Syriæ anno urbis 628 ante XI Epocham 126.° Autonomiam consecuti, novam urbis suæ æram eo ipso mense Hyperberetæo inierunt, quo mense annus æræ Seleucidarum 187. inchoabatur. et pag. 325 Colligimus, inquit, Epocham Tyri inisse die 19 Octobris unâ cum primâ die Hyperberetæi, a quo annum auspicabantur Tyrii qui menses Macedonum receperant, ut testatur Norisius, probatque autoritate Annalium Phænicum laudatorum a Josepho lib. 8. Ant. Cap. 2.

Annus autem Tyriorum a die 19 Octobris incipiens solaris erat, menses que eorum partim 30 et 31 diebus constabat, ut erudite demonstrat Norisius pag. 321 et 322. igitur annus solaris, menses que partim 30 partim 31 diebus constantes recepti erant inter Orientales et in Macedonum Imperio multis annis ante Julium Cæsarem.

Certe a Romanis non receperunt usum mensium solarium Macedones istis enim proprii erant menses, quorum usum inter Orientales a Macedonibus propagatum fuisse existimabant olim. etenim illi menses appellantur cælestes Menses Macedonum a veteribus. nam in duobus Codicibus MMSS Bibliothecæ Oxoniensis laudatis ab Usserio dissertatione de Anno solari Macedonum Cap. 4. habetur fragmentum Joannis Damasceni in quo legitur μῆνες κατὰ Μακέδονας Ταῦρος α, Δίδυμος β, Κάρκινος γ, Λέων δ, Παρθένος ε, Ζυγὸς ς, Σκόρπιος ζ, Τοξότης η, Αἰγοκέρων θ. ὑδροχόος ι, ἰχθύες ια. Κριὸς ιβ. in alio Codice primus anni Macedonum mensis notatur Αἰγοκερῶν et isti convenit Codex Regiæ Bibliothecæ Francorum visus ab Arnaldo Boate Anglo, ut ipse perhibet in Epistolâ ad Usserium Armachanum inter Usserianas numero 234. hæc procul dubio Damascenus ex vetustioribus hauserat auctoribus, præcipue cum vetus Lexicon citatum ab Henrico Stephano columna 225 app. Thesauri hæc ipsa Macedonum mensium nomina signis Zodiaci communia exhibeat.

Annus itaque cœlestis cujus menses duodecim nominibus signorum insigniebantur Macedonibus erat proprius, licet in usu civili

aliis nominibus istos menses decorarent. Sic Κριὸς dicebatur Artemisius vel Xanthicus, Ταῦρος Dæsius vel Arthemisius &c. primas autem Scriptores variis dabant Mensibus pro arbitrio, forma tamen et ratione Mensium eadem remanente. Macedones itaque ita menses disponebant ut cum eis ingressus Solis et Signorum principia Convenirent, non quidem ratione habita motuum Solarium verorum et Exactorum, sed popularis usus qui propius ad Astronomorum Calculos accedebat.

Præterea Sententiæ Norisii non parum officit immutatio Anni facta ab Alexandro in procinctu prœlii ad Granicum. hoc cum animadvertisset vir Eruditus, difficultatem sic Eludere pag. 33 tentat his verbis. " hujusce vero " in ordinandis Mensibus diversitatis Asianos inter et Syros Causam ab Alexandro " Magno derivatam putant. Nam Cum Alexander ad Granicum amnem Phrygiæ " aciem Contra Persas instrueret, quidam Dæsii Mensis religionem observandam " existimabant, uti Scribit Plutarchus in Alexandro. Veteri enim instituto Cautum " erat ne Macedones eo mense prœlia Committerent, quam rem facile Correxit " Alexander ipsum Dæsium Secundum vocari Artemisium edicens, quare " cum iteratus Artemisius Dæsii locum occupasset, Cæteri quoque Menses moti " Sede in proximorum locum protrudi sunt, atque ita Hyperberetæus qui in " anno veteri Macedonum Cum Juliano Septembri proleptico magnâ parte de" currebat Cœpit postea Octobri Correspondere. at Asiatici vetustum ordinem " Servarunt, hæc tamen Subtiliter Excogitata, quamvis memoratæ diversita" tis Causam probabilem faciunt, Sine ullo teste dicuntur. "

Fateor hæc non esse ita demonstrata ac Euclidis Theoremata et problemata, sed Cum ex testimonio allato Certissimum sit annum totum fuisse ab Alexandro immutatum, et cum invictis Argumentis probetur veterem anni formam fuisse a Macedonibus Europæis retentam, et aliam admissam a Syromacedonibus prorsus similem illi ipsi Cujus Auctor fuit Alexander, quid probabilius et melius dici poterat quam ea quæ Usserius et alii viri Doctissimi asseruerunt de differentiâ Mensium Macedonum Orientalium et occidentalium, et utinam omnes Criticorum et ipsiusmet Clarissimi Norisii Conjectanea et opiniones pari fundamento innitterentur.

Sed videamus utrum aliquid afferat nobis Norisius, quod magis palato sapiat " Sane, inquit pag. 33. Cum id temporis menses essent Lunares, Alexander alterum " Artemisium Anno Communi inserens, vetustum facile ordinem ac situm Mensium " restituisset proximo Anno alias Embolymæo nullo mense intercalato. " ita plane Si Mensium Embolimæorum usus fuisset a Macedonibus tunc receptus, Sed horum

Mensium Embolimaeorum nec vola nec vestigium apud Priscos autores, et Nori=
sio incumbebat onus hos Embolimaeos Macedonicos menses e tenebris eruendi,
ut tantorum virorum placita sic contemneret. utriusque anni formam ideo in
Concordiam reduci ~~oportuit~~ non potuit, quia nullus jam erat apud Mace=
dones Mensium Embolimaeorum usus. hinc puto (pergit Norisius) Syros an=
num solarem recepisse anno currente apud ipsos intercalari. quo cum Hyper=
beretaeus magna sui parte cum Romanorum Octobri decurreret alium ab
Asianis eidem situm in anno solari assignarunt; Sed nulla magis jejuna con=
jectura unquam fuit quam haec divinatio Norisii et quidem falsa quam maxime
est. nam Seleucidarum Epocha incipiebat ab Hyperberetaeo qui erat Dius Mace=
donum. ipsemet Norisius initium hujus Epochae fixit validis argumentis, eumque
initio Hyperberetaei rejecit. nonne omnia illa convellentur, ut huic novae divi=
nationi locus adhibeatur. Certissimum est itaque, jam a tempore Seleucidarum
menses Syromacedonum ordine fuisse a Macedonibus diversos. Sed instat Norisius;
Ptolomaeus lib. 9 Syntaxeos Cap. 7. referens ex libris Chaldaeorum quandam Sy=
derum observationem ait: anno 75 Chaldaeorum Dii mense 14. ~~9 mensis Thoth~~
~~aegyptiaci~~ Mercurius &c. est annus DXII. Nabonassari. IX mensis Thoth aegyptiaci ~~&c~~
1ª dies Thoth. anni vagi aegyptiorum incidit in diem 22 octobris anni Juliani
proleptici, quare Neomenia Dii fuit 16 octobris cui proxima exierat ultima
Hyperberetaei, qui cum in anno Lunari modo majorem modo minorem partem
octobris occuparet, ad annum postea solarem traductus eum Octobri Romanorum
aequatus fuit. Hyperberetaeus et alii Macedonum menses diu antequam aequarentur
Julianis solares erant, ut mox demonstrabimus ex ipso Norisio qui secum semper non
convenit. ad Ptolomaeum respondeo ipsum loco citato anni Macedonum vel Syro=
macedonum non meminisse, sed Chaldaeorum, illi annum habebant peculiarem
et menses vagos, quibus nomina macedonica post Alexandrum imposuerunt. pari
modo Judaei, ut ex Josepho constat menses suos lunares nominibus Macedonicis
appellaverant, veluti Nisan Xanthicum, Jiar Artemisium, Sivan Daesium,
Tamus Panemum, Ab ~~[struck]~~ Loum, Elul Gorpiaeum, Tisri Hyperberetaeum,
Marchesuan Dium, Casleu Appellaeum, Tebet Audynaeum, Sebat
Peritium, Adad Dystrum.

Tandem concludit Norisius, et quidem Syros pro arbitrio initium Hyperbere=
taei in Octobri constituisse probat varietas dierum a quibus variae in Syria gentes eundem mensem
inibant. nam Tyrii... neomeniam sive diem primam Hyperberetaei a die 19 octobris
deducebant &c. Sed an pro arbitrio Tyrii initium sui Hyperberetaei deduxerunt
qui primum diem suae Epochae et anni ab acceptâ libertate et autonomiâ nume=
rabant. numquid pro arbitrio illi annum et primum mensem incipiebant,
qui nunquam tam felicem diem immutarunt, a quo et Epocham suam et annum

αὐτονομίας auspicati sunt.

Syrii autem non soli inter Orientales annum fixum et solarem admittebant. ab æquinoctio enim verno Principes[s]æ sicut et Damasceni Syri annum solarem inchoarunt.

Profecto quam longissime a vero aberrant illi qui censent Orientales anni solaris formam sibi prius incognitam a Romanis seu a Julio Cæsare accepisse. etenim sæculis multis ante Prisci Ægyptii dierum 365 et quadrantis annum solarem definierant, quam de emendando anno Romano aut Juliano recipiendo cogitatum fuisset. observantes quidem accuratissime ortum Caniculæ, quia ab eo tempore Nilus intumere solet ab uno ortu ad alterum ortum Caniculæ. præter 365 dies quadrantem superesse deprehendebant. itaque præter quatuor annos solidos Ægyptiacos dies unus rationibus anni accedebat. imo Cæsarem postquam devicto Pompeio sapientibus Ægypti aliquot dies operam dedisset, ab iis anni Canicularis modulum didicisse et in animum habuisse annum Romanum emendare, prudenter admodum vidit Josephus Scaliger initio libri 4. de Emendatione temporum. id quidem his conceptis verbis asseverat Macrobius Saturn. 1. c. 14. Cæsar imitatus Ægyptios solis annum dirigere contendit. Antiquissimos certe Ægyptios, (Thebanos puta) annum solarem diebus 365 et quadrante constituisse, mihi autor est Diodorus Siculus qui sub Julio Cæsare floruit. ait itaque libro 1. Biblioth. p. 46. Ægyptos mos non ad lunam sed ad solem annum exegisse, tricenos mensibus dies tribuisse et post duodecimum quemque mensem quinque dies intercalasse, eoque peracto circulum annuum absolvisse. idem de omnibus Ægyptiis asseverat Horus Apollo lib. 2. cap. 89 ait, inquam Ægyptios ab ortu astri Sothios seu Caniculæ ad alium ortum ejusdem astri (spatio nempe 365 dierum) addidisse quartam partem diei τέταρτον ἡμέρας. addit Horus Apollo per quamlibet ~~tetraendem~~ tetraeteridem seu quadriennium diem completum, scilicet intercalarem περισσὴν ἡμέραν numerasse Ægyptios, cum quatuor quartæ partes diei diem integrum constituant, τὰ γὰρ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει et inferius asserit annum (seu Magnum annum) quatuor annis simplicibus et minoribus constitisse. hoc testimonium Hori Apollinis quod lib. 3. de Emend. tempor. pag. 196 attulerat Scaliger, ut suppositium rejicit quidem Petavius lib. 3. de Doctrina temporum cap. 89. verum vir doctissimus deceptus fuit editionibus primis mancis et mutilis in quibus cum alia non pauca tum integrum de quo agitur caput opusculi Hori Apollinis deest. quod si Petavius consuluisset editiones Augustanam Hoeschelii, Parisinam Merceri, Wechelianam, Morellianam &c. ibidem locum reperisset fidelissime relatum a Scaligero quem immerito suggillat vir summus, ipsumodium adversarii in errorem gravissimum præcipitem tulit; nec feliciter interpretatus est Censorinum qui diserte scribit cap. 16. lib. de die Natali Lustrum annum Magnum vocatum fuisse ab Ægyptiis.

insuper Macrobius quem jam ad testimonium citavimus asserit Ægyptios illos quos Cæsar imitatus est annum diebus 365 et quadrante constituisse. istorum prætereà Annus Civilis solos habebat dies 365 sine ullo intercalari, itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus erat quam quadriennium naturale eoque fiebat ut anno 1461 ad idem revolveretur principium. hic autem annus 1461 Annis Civilibus Constans a quibusdam Heliacus dicebatur, et ab aliis ὁ Θεοῦ ἐνιαυτὸς annus Dei, ut testatur Cap. mox laudato Censorinus apud quem triplex Annus Ægyptiacus Expresse distinguitur. at anni Solaris et fixi Constitutionem ab illis Ægyptiis observatam, qui se Mortalium Antiquissimos prædicabant, ut ait Diodorus, primus Eudoxus Ex Ægypto ubi multis annis Commoratus fuerat in Græciam intulit Olympiade Circiter 102. indeque geminato Spatio Suam Constituit Octaeterida. (testem adduco Plinium Cujus hæc habentur Verba lib. 2. Cap. 47. omnium quidem si libeat observare minimos ambitus redire easdem vices quadriennio Exacto Eudoxus putat non Ventorum modo Verum reliquarum tempestatum maxima ex parte, et est principium lustri ejus Semper intercalari anno Caniculæ ortu.) Plinio Antiquior Strabo ei Suffragatur. ait enim lib. 17. pag. 806, Eudoxum profectum Cum Platone in Ægyptum a Sacerdotibus didicisse dies ad Anni Complementum Excurrentes. quid Clarius? nemo itaque miretur Macedones rejectâ prisci Anni Lunaris formâ depravatissimâ et Vitiosissimâ, anni Solaris et fixi formam, quam non ita pridem ab Eudoxo Græci didicerant recepisse post olympiadem 108 et antequam Alexander Expeditionem persicam Susceperit. licet populus urbium Græcarum Suis pristinis Moribus nimium addictus ab iisdem absistere noluerit, anni que Lunaris formam diu multis in locis retinuerit. Sed de istis Alias. nunc ad Macedonicum Annum redeamus, et jam ad Diagramma Anni Asiani et Macedonici ab usserio propositum Veniamus. quatuor hujus Anni Cardines ex Galeno posuit Solstitia et Æquinoctia primi Mensis initium die 24 Septembris. quarti Mensis 24 Decembris. Septimi mensis 24 Martii in Anno bissextili et in Communi 25. et decimi 25 Junii in anno Communi, in bissextili Vero 24 affixit

Initium Mensis Septimi reperit Usserius homilia Paschalis inter opera S. Chrysostomi beneficio, et diei Martyrii Polycarpi qui notatur in Epistolâ ecclesiæ Smyrnensis. ibidem enim legimus passum esse beatum Martyrem die Secunda Xanthici 7.° Calendas Aprilis, quam lectionem ut Verissimam mox tuebor.

Alexander quidam Monachus infirmare quidem Videtur hoc anni Macedonici et Asiani Diagramma in Encomio S.ti Barnabæ, nam, Si ipsi fides

esset, Mensis Octavus Asianus incepisset die 24 Aprilis in Anno Communi, quod tamen non Contingit nisi in anno bissextili, ut patet testimonio Epiphanii asserentis Valentinianum juniorem fuisse Sepultum die 23 Mensis 8. sive Artemisii Syro Macedonum, et 16. Maii in festo Pentecostes anno bissextili 392. recte Norisius reprehendit Usserium, qui ut se Expediret his tricis opinatus est Alexandrum denotasse annum bissextilem, quo passus est forsan Barnabas, sed in Assignando die festo absurdum est bissextilis anni rationem habere, non Communis, nodum secat Norisius et pronuntiat rescribendum die 22. non 23. oleum et operam perdiderunt Clarissimi Viri. Monachus enim ille Alexander auctor recensest, nullius judicii et nullius auctoritatis, ut Ostendit Pagius in dissertatione nova de periodis et aevis Veterum quam in lucem se editurum sperat.

Diagramma Usserianum Norisio non placuit in omnibus, nam illustrem Scriptorem hibernum Hallucinatum esse in Notando Cardine Aestivo et initio decimi Mensis judicat insignis Criticus noster Veronensis. at id Usserius non Conjecturis adductus et opinationibus saltem probabilibus statuit; sed firmissimum habet Anonymi qui sub Arcadio vixit testimonium quod in Martyrio Pauli Apostoli refert Euthalius primum Diaconus postea Episcopus Sulcensis qui labente saeculo quinto scribebat. Anonymus, inquam ille quem Euthalius sequitur Mensem decimum seu Loum Macedonum et Panemum Syro Macedonum die 25 Junii incipere tradidit. Verum Norisius pag. 405 asseverat Euthalium nomine Syro Macedonum Gazenses et alios in Palaestina intellexisse quorum Menses cum Aegyptiorum Mensibus inchoabantur. sed Euthalius absurdus omnino fuisset, si solos illos Graecos vel Syro macedones fuisse intellexisset, qui nequaquam a Macedonibus oriundi, Graece prorsus nesciebant. assertioni meae duos advoco testes omni Exceptione Majores, Hieronymum et Marcum Diaconum. primus in Vita S. Hilarionis haec ait pag. 327 et 328 Edit. Nivell. Candidatus Constantii Imperatoris &c. (Francus genere) possessus a Daemone.... acceptis ad Consularem Palaestinae litteris, cum ingenti honore et comitatu Gazam deductus est, qui cum a decurionibus hujus loci quaesiisset, ubi habitaret Hilarion Monachus, territi Gazenses et putantes eum ab Imperatore missum, ad Monasterium adduxerunt.... statim ergo ad interrogationem suspensus homo, vix terram pedibus tangens et immane rugiens, Syro quo interrogatus fuerat sermone respondit. videres de ore barbaro (barbaro erga Gazenses Syros) et qui francam tantum et latinam linguam noverat, Syra ad purum verba resonare, ut non stridor, non aspiratio non idioma aliquod Palaestini deesset Eloquii.

Marcus idem diserte magis testatur in Vita S. Porphyrii Episcopi Gazensis apud Baronium in Annalibus ad Annum 401. et Bollandianos socios os suum aperiens

ait (Marcus) dixit puer (Gazensis) lingua Græca: urite templum &c. accersita vero Matre pueri Gazensis eam interrogavit Porphyrius Episcopus an ipsa aut filius ejus sciret linguam Græcam? illa autem jurejurando affirmabat neque se neque filium ejus scire Græce... puer autem cum vidisset numismata in manu Matris suæ exclamavit dicens linguâ Syriaca: ne accipias mater. adde quod apud Gazenses summus Deus seu Jupiter appellabatur nomine Syriaco <u>Marna</u> de quo Deo suo loco differemus. itaque non video cur soli et proprie Syro Macedones dici potuerint ab Euthalio qui neque genere aut origine, lingua vel moribus Syro Macedones erant vel Græci. [nec obstat quod Josephus numeret Gazam lib. 17. Antiq. cap. 13. et lib. 11. de bello judaico cap. 9. inter πόλεις ἑλληνίδας. nam hoc nomine non intelligit Colonias Græcorum sed urbes sacris Gentilium addictas; apud Josephum enim et coævos ipsi Judæos ἕλλην est Gentilis Deorum cultor.

Demum Gazensium menses, ut ipse Norisius probat dissertatione 5.ª cap. 2. non pari ratione disponebantur ac menses Macedonum, et imprimis Arthemisius Gazensium, qui, ut vult Norisius, incipiebat eodem die, quo Pachon Ægyptiorum, id est 30.° Aprilis Juliani. at teste Epiphanio libro de Ponderibus et mensuris, sepultus est Valentinianus Junior in festo Pentecostes anni bissextilis 392: arthemisii juxta Syro Macedones seu Græcos tertia et vigesimâ. et juxta Ægyptios mensis Pachon die 21.ª igitur Arthemisius Græcorum seu Syro Macedonum incipiebat eodem die quo Dæsius Macedonum, nec conveniebat omnino cum Ægyptio Pachon, unde liquido patet vanam prorsus esse Clarissimi Norisii conjecturam de anno Syro Macedonum et etiam Gazensium. de istis autem suo loco differendum erit. | Græcorum vero ἑλλήνων nomine Epiphanium intelligere Syro Macedones apud omnes convenit, et quidem apud ipsum met Norisium. vide dissertationem 1. pag. 15. ἑλλήνων enim menses distinguit a Macedonicis mensibus diserte Epiphanius contra Alogos.

Unicum testimonium contra Euthalium affert Norisius scilicet Galeni Asiani et Pergameni asserentis comment. in lib. 1. Epidemic. Hyppocratis solstitium in initium Dii Macedonici incidere. at solstitium notabatur a veteribus 8.° Calendas Julii. hac die idcirco incipiebat mensis Lous. hoc modo Eruditissimus ratiocinatur Norisius, sed non advertit apud veteres de die solstitii non convenisse, imo tropis τροπαῖς quarum loco citato meminit Galenus. dies plures assignabant. Columellam appello testem lib. 11. 8.° Calendas, hoc, inquit, et biduo solstitium id est 7 et 6 Calend. Plinius ait Cæsari Orionem exoriri 6.° Calend. julii. eadem die solstitium notat Ovidius lib. 5. fastorum his carminibus

Ecce suburbana rediens male sobrius æde,
ad stellas aliquis talia verba jacit.

Zona latet tua nunc et Cras fortasse latebit,
de hinc erit Orion adspicienda mihi.
at si non esset potes dixisset Eadem
Venturum tempus Solstitiale die.

Eadem, inquam, die, qua Exoriturus erat Orion, 6.° nempe Calendas Julias.

Aetius Amydenus tetrabibli Sermone 3. Cap. 64. ait 25. Junii Orionem mane incipere oriri. addit εἰσὶ δὲ τροπαὶ θεριναὶ est autem Solstitium Aestivum in Calendario Romano Constantini Edito ab Hervarto notatum ad 7. Cal. Julii fortis fortuna Solstitium. Nimius essem, si varias omnium Veterum referrem Sententias de tempore Solstitiali. Sufficiat addere Geminum post Calippum τροπὰς θερινὰς Notare 1.° die qua Sol peragrat Cancrum. igitur si solum testimonium haberemus Galeni adhuc esset obscurum, quo die Mensis Junii Lous Macedonum incœpisset, incerti enim essemus quamnam inter tot varias opiniones Macedones et Asiani Elegissent. at Norisius pronuntiat illos Solstitium die 24. Junii Notasse, sed Eruditissimo viro nullâ veterum auctoritate fulto assensum præbere nullus tenetur. ipse Conjecturis suis et opinationibus totus inhæret. nos firmo Euthalii Draconi testimonio adhærebimus.

Macedonum Menses ut vidimus a Syro Macedonicis veris et priscis solo nomine non sede et dierum Numero discrepabant, Contra quod Autumat Norisius. præterea dissertatione 1.a pag. 23. 24. et seqq. Vir Eruditissimus Contendit Omnes Asianos anni formam Macedonicam recepisse, nec Smyrnæos a Cæteris discrepasse. licet sententiam oppositam statuerit Usserius fultus autoritate Epistolæ Ecclesiæ Smyrnensis de Martyrio S. Polycarpi. Henricus Valesius (inquit Laudatus Norisius) Usserii opinionem refellit in Notis ad Eusebium. etenim prorsus improbabile videtur Smyrnæos præter urbium Asiæ Morem annum non a Dio sed ab Hyperberetæo Auspicatos fuisse. argumento ad hominem reponemus Norisio impossibile videri solos Gazæos inter Syros anni formam mensibus omnibus tricenariis et Epagomenis Constantem admisisse, annumque a die 30 Octobris et mense Dio Auspicatos fuisse, ut affirmat Vir Celeberrimus dissertatione 5. pag. 406. sed ubinam reperit omnes civitates Asiæ annum a Mense Dio fuisse Auspicatas.? apud Galenum fortassis Commentar. 1.° ad primum lib. Epidemic. Hippocratis. profecto eo loci docet nos Galenus Asianorum Menses fuisse ~~Lunares~~ Solares non lunares, ut Græcorum menses, his verbis: χρὴ δὲ δηλονότι τοὺς μῆνας οὐ πρὸς σελήνην ἀριθμεῖσθαι καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις νῦν τῶν ἑλληνίδων πόλεων ἀλλὰ πρὸς ἥλιον ὡς καὶ ἐν ἁπάσαις τε τῶν ἀρχαίων lege Ασιανῶν καὶ ἐν πολλαῖς τῶν ἐθνῶν ἀριθμεῖται et paulo post asserit Romanos Macedones et Asianos annum ad Solem agere. ὥσπερ ἔφην ὑπό τε ῥωμαίων καὶ Μακεδόνων Ασιανῶν τε τῶν ἡμετέρων καὶ πολλῶν ἄλλων ἐθνῶν.

ibi Galenus asserit Macedones Asianos Romanos et alias plurimas gentes annum suum ad Solem Egisse, sed non video qua ratione exinde Colligi possit Asianos omnes annum a Dio Mense Auspicatos fuisse juxta Macedonum

morem, imo Exinde nobis deducendum foret et apud Romanos et alias gentes quas non Nominat Expresse Galenus primum Mensem fuisse Dium. certe apud Galenum lib. 4. de Sanitate tuenda Cap. 4. animadvertimus Macedonum Europaeorum nomenclaturam retentam fuisse a Pergamenis. docet enim nos abietis semen fuisse pulcherrimum vel maxime Maturum circa Arcturi Emersum quo tempore Romae quidem September vocatus mensis est. ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν ὑπερβερεταῖος, ἀθήνησι δὲ μυστήρια quod Confirmat Oribatius Juliani Imperatoris Medicus lib. 9 Collectionis Medicinae Cap. 4. his verbis: μηνὸς Λόου ιθνοντος πέμπτη δ' ἂν idest die 26 Oriente Sole Canem Exoriri παρ' ἡμῖν ἐν Περγάμῳ Creditur. Animadverte Galenum hic non dicere laudatam Mensium Nomenclaturam fuisse Servatam παρ' ἡμετέροις Ἀσιανοῖς ut de Anno Solari Animadverterat, sed παρ' ἡμῖν ἐν Περγάμῳ. Ex verbis itaque Galeni et Oribatii non solum Nomenclaturam Macedonum Europaeorum ab universis Asiae Civitatibus receptam fuisse Concludi non potest, sed Ex utroque Collīgo Asianos quidem omnes de uno et eodem anno Solari admittendo Convenisse, sed Circa Mensium Nomenclaturam ab invicem discrepasse. Ephesii quidem in omnibus Cum Pergamenis Conveniebant. probatur enim ex fragmento bibliothecae Savillianae Peritium juxta ~~Asianos~~ Ephesios fuisse olim Cum Januario Romano Comparatum at Smyrnaei Ephesiorum Mores et leges non admittebant. Ephesi enim aemula erat Smyrna, quacum priore de principatu Asiae Contendebat. unde in Nummis a Sponio relatis tertia parte itinerarii dicitur, Η ΠΡΩΤΗ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ. imo Smyrnaeorum Civitas in Marmore inter Oxoniensia CXLIII. dicitur prima Asiae pulchritudine et Magnitudine et Splendidissima et ter Neocoros Augustorum Secundum decreta Sanctissimi Senatus et Ornamentum Ioniae.

Non mirum igitur quod una Civitas nomenclaturam Mensium Europaeorum Macedonum, altera Syro Macedonum admiserit.

Demum Norisius dissert. 1. pag. XI. Citat inscriptionem Sepulchralem editam a Sponio in Itinerario et ab eodem exscriptam Thyatirae in Lydia ibi autem Videtur hanc inscriptionem Sculptam fuisse Catillio Severo Proconsule μηνὸς αὐδηναίου τρὶς καὶ δεκάτῃ Sed haec inscriptio nihil ad rem incertum est enim an Mensis Audynaeus ille Convenerit Cum Decembri More Macedonum, an Cum Januario juxta Syro Macedones. Sed instat Norisius Straboni lib. 13 pag. 431 Thyatyrae Macedonum Colonia laudatur. hinc illa Macedonum Menses adhibebat; sed pari ratione Concludendum foret Antiochiae et Alexandriae Macedonum Coloniae erant: ergo his in urbibus usitati erant Menses Macedonum Europaeorum quod tamen falsum est.

Nihil igitur neque Valesius, neque Norisius Contra Usserium probarunt, utriusque enim ratiocinationes nullius esse ponderis aequus lector videbit.

Veniamus jam ad Notam Chronologicam passionis S. Polycarpi appositam Epistolæ Ecclesiæ Smyrnensis sic habetur in Editione Græca Usserii. μαρτυρεῖ δὲ ὁ μακάριος Πολύκαρπος μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαΐων σαββάτῳ μεγάλῳ ὥρᾳ ὀγδόῃ. Auctor Chronici Alexandrini in suo Codice græco legit πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Ἀπριλίων, quæ vera lectio est. Norisius tamen hunc Chronographum temeritatis inscitiæque arguit et tanquam falsarium damnat pag. 24. dissert. 1. Valesius, ut pronuntiat Criticus noster insignis, jure putat in vetusto Codice scriptum fuisse μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαρτίων non autem Μαΐων. imo non jure id Valesius existimavit, nam pro nova sua lectione hactenus inaudita auctoritatem affert veteris interpretis latini: sic enim ille in Epistola Smyrnæorum diserte scribitur Polycarpum passum esse die 2.ª mensis xanthici id est ante diem 7. Cal. Martias, ut recte vertit vetus interpres, et rursus in Epistola Smyrnæorum de Martyrio Polycarpi scribendum est πρὸ ἑπτὰ Καλανδῶν Μαρτίων ut legit vetus interpres, sed hæc est Valesii hallucinatio, nam vetus versio ex tribus veteribus latinis Manuscriptis a Bollando adornata habet 7. Calend. Maias. eadem etiam versio ex Codicibus Salisburiensi et Cottoniano ab Usserio Edita habet pariter 7. Cal. Maii. nullibi aut in Græcis aut in latinis Codicibus mentio fit 7. Calend. Martiarum vel de hac die autem nec per somnium Cogitasse interpretem latinum patet his verbis. Martyrium Sancti Polycarpi Mense Aprili 7. Calend. Maii majore sabbato horâ octavâ, qui Mense Aprili passum beatum Martyrem putavit qua ratione 7. Calend Martii, id est 23. februarii eundem mortem oppetiisse Existimasset? lectio Valesii orta est ex mero Errore, qui Magno viro ignoscendus. ipse enim vel male oculatus vel captus oculis diu vixit, sed ægre Excusabitur Norisius qui Valesii scriptis et vestigiis inhærendo cæcutire non debuit, vel cui non licuit Errorem, siquidem ipsum agnovit, dissimulare.

Norisius pag. 27 refellit Valesium asserentem Polycarpum obiisse anno 167. die 23 februarii. nam, inquit, Polycarpus Magno sabbato Martyrium subiit; et ~~quod~~ quamvis fateatur Valesius incompertum esse cur illud sabbatum magni Epithetum tulerit, negare nequit die sabbati sanctum Martyrem occubuisse. hoc enim Anno 23 februarii incidit in Dominicam, non in sabbatum. at Anno superiori 166, pergit Norisius, dies 23 februarii fuit sabbatum. fuit sane sabbatum fateor. sed nequaquam fuit sabbatum Magnum de quo agitur. Valesio licet Doctissimo incompertum fuit, cur illud sabbatum Magni Epithetum tulerit, sed quid inde? nullus scire potest aliquid quod Eruditissimus vir ignoravit. quid fuerit Magnum sabbatum σάββατον μέγα apud Orientales judæos et Christianos, docent nos non obscure, quamplurima Antiquitatis Monumenta. sabbatum magnum

Semper dicebatur Sabbatum illud quod diem Paschatis proxime præcedebat, neque ullus alius dies Sabbati eo nomine insignitus est. Constitut. Apostol. lib. 5. cap. 19 περὶ τῆς παννυχίδος τοῦ μεγάλου σαββάτου κ. περὶ ἀναστασίμου ἡμέρας. Canon Apostol. 66 Sabbato præter unum solum jejunare vetat. ita hunc Canonem explicat Aristinus καθαιρεῖσθαι ὁ ἐκτὸς τοῦ μεγάλου σαββάτου, ἕτερον δὲ κυριακὴν νηστεύων et Balzamon pariter interpretatur secundum solum Magnum Sabbatum. unum igitur tantum et solum Magnum Sabbatum quod et Græci τὸ ἅγιον κ. μέγα σάββατον vocant in Nomo Canone pag. 137 a Cotelerio edito νηστεύοντες ἐκτὸς τριακονταημέρας τὰ ἐκτὸς τοῦ ἑνὸς μεγάλου σαββάτου μιμοῦνται λατίνους. | Palladius vitæ Chrysostomi pag. 18 Editionis Bigotianæ ἐν τούτοις ἐπέστη ἡ τοῦ μεγάλου σαββάτου ἡμέρα ἐν ᾗ ὁ σωθεὶς σταυρωθεὶς ἐσκύλευσε τὸν ᾅδην. eandem Phrasim repetit pag. 82. | Concilium autem in Trullo hæc habet Can. 89. χρὴ τοὺς πιστοὺς περὶ μέσας τῆς περὶ τὸ μέγα σάββατον νυκτὸς ὥρας ἀπονηστίζεσθαι τῶν θείων εὐαγγελιστῶν Ματθαίου κ. Λουκᾶ τοῦ μὲν διὰ τοῦ ὀψὲ σαββάτων προσρήματος τοῦ δὲ τοῦ ὄρθρου βαθέος τὴν βαθεῖαν τῆς νυκτὸς ἡμῖν ὑπογράφοντος. | Zonaras ad Canonem 45. Concilii Laodiceni τὸ μέγα σάββατον καθ' ὃ τὸ κυριακὸν σῶμα ἐν τῷ τάφῳ ἄπνουν ἔκειτο νηστεύειν προσεταχθημεν. et istæc quidem satis superque ad veram notionem assequendam μεγάλου σαββάτου ex Christianorum scriptis relata sunt. at magni momenti necessarium que omnino est etiam quid de Magno Sabbato judæi senserint inquirere. nam Asiæ Minoris Christiani ævo Polycarpi Pascha celebrabant eodem die quo judæi, idest 14. Nisan, ut testatur Sancto Martyri nostro coævus Polycrates Episcopus Ephesi Epistolâ ad Victorem Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24. his verbis: | πάντοτε τὴν ἡμέραν ἤγαγον οἱ συγγενεῖς μου et alii Pastores Asiæ quos jam memoraverat ὅταν ὁ λαὸς (Ιουδαίων supple) ἤρνυε τὴν ζύμην, si semper Paschæ diem tunc celebrarunt, cum judæorum populus fermentum abjiceret, eadem etiam die quâ judæi Christiani Smyrnenses celebrarunt Sabbatum Magnum, quod Pascha immediate, idest nullo alio intersecto saltem Sabbato præcedit. et obiter notandum Josephum Scaligerum male magnum Sabbatum ad Pascha ἀναστάσιμον restrinxisse, maleque argumentatum esse hoc modo: | si Sabbatum fuit 7. Calend. ergo Pascha 6. Calend. in littera C nam ubi Pascha non semper imo raro die Dominico celebrabatur Sabbatum sive feria septima quæ diem Paschatis proxime præcessit Sabbatum Magnum dicebatur.

ita hodierni judæi, ita veteres illud Sabbatum quod 14 mensis Nisan præcedit שבת הגדול Schabbat hagadol Sabbatum Magnum vocant. insignis ille rituum judaicorum Doctor et Magister dictus Baal Hatturim qui summæ est auctoritatis 1.ª parte operis sui quæ appellatur Orachhaiim semita vitæ, rationem aperte tradit cur Sabbatum proxime præcedens festum Paschatis appellatum fuerit

Magnum, nempe ob Miraculum quod Judæi Credunt fuisse perpetratum in Ægypto hac die ante primum Pascha in operis hujus Arbaturim Compendio quod vocatur Schulcham aruc mensa apparata, legitur eadem parte .1. Cap. 43. שבת שלפני הפסח קרין אותו שבת הגדול מפני הנס שנעשה בו — Sabbatum quod est ante Pascha vocant ipsum Sabbatum magnum, propter Miraculum quod in eo factum est. idem traditur in libro rituali dicto Levush malchuth et in libro Col bo. iste recentior est, sed valde celebris. idem etiam aperte videtur in libris Liturgicis Judæorum Seder tephillot Nominatis. in Amstelodamense pro hispanis edito leguntur pag. 9. אזהרות לשבת הגדול של פסח Monita pro Sabbato Magno Paschatis, ubi multa proponuntur de fermento removendo, de Azymis et festo Paschatis, et postea pag. 39 sub hoc titulo תקון פסח tikkun pesach dispositio seu ordinatio Paschatis. præscribuntur orationes dicendæ ante et post remotionem fermenti et sequentibus paginis traduntur סדר ליל פסח ordo pro Nocte Paschatis סדר של פסח et ordo pro Solemni festo Paschatis. idem probatur ex aliis libris ritualibus Judæorum secundum diversarum Nationum ritus. in fine libri lectionum seu sectionum Prophetarum quæ dicuntur Aphtaroth legitur Aphtara pro Sabbato Magno הפטרות שבת הגדול בת״ע במלאכי sectio seu lectio pro Sabbato Magno de duodecim Minoribus prophetis, de Malachia. perperam itaque Blondellus effatus est: Magnum Sabbatum est festum quodcumque in feriam septimam incidens, cujus erroris parens fuit Usserius qui asseruit Sabbatum illud magnum quod appellari quod incidit in festum purim. reperverat ex Calculo Judæorum festum Purim incidisse in Sabbatum anno 167. die 22 februarii unde opinatus est Polycarpum fuisse quidem Comprehensum hac die in Magno Sabbato; sed Crastina die 23 februarii tantum fuisse Combustum, quod invicte refellitur testimonio Smyrnensis Ecclesiæ diserte asserentis Sanctum Martyrem passum esse Sabbato. præterea falsum est Sabbatum in quodcumque festum incidens appellari a Judæis Magnum Sabbatum שבת הגדול. nam in eorum libris ritualibus et speciatim in lib. Haphtaroth, hæc Sabbata dicuntur tantum incidentia in festum videlicet Sabbatum incidens in Solemnitatem Paschatis vocatur שבת חול המועד של פסח et Sabbatum incidens in festum tabernaculorum שבת חולו של מועד של סוכות. uni cum Sabbatum appellatur Magnum Haggadol quod proxime præcedit Pascha ex supra a me allatis invicte refellitur sententia Ægidii Bucherii qui opinatus est Sabbatum illud Magnum appellatum fuisse quod incidit in Solemnitatem Paschatis, nam hoc accidit raro. Sabbatum vero Magnum Schabbat Haggadol festum est quotannis recurrens. at longe gravius Cæteris peccavit Norisius qui Martyrium S. Polycarpi assignat anno 166.

nec curat utrum Sabbatum, in quo beatus Martyr necatus est inciderit in aliquod festum solemne, unde forsan dici potuerit Magnum, quasi nihil discriminis esset inter Sabbatum quodcumque et Sabbatum magnum. itaque Magni appellatio nihil praeter vanum inane et inutile Epithetum foret.

Eruditissimi igitur viri et aliorum quos superius memoravi erroneis opinionibus discussis et explosis concludendum est Judaeorum et Christianorum testimonio et consensu constare Sabbatum Magnum unicum semper fuisse illud quod festum Paschatis proxime praecedit. hoc autem Sabbatum incidisse in diem 2am Xanthici Macedonum Europaeorum impossibile est. igitur Polycarpus passus est die 2a Xanthici Syro Macedonum sive 26 Martii et 7. Cal. Aprilis, uti legitur in Chronico Alexandrino, istiusque Chronici auctor ex Codice sano et emendatissimo Epistolae Smyrnensis Ecclesiae descripsit fragmentum istud, quod operi suo inseruit. Codicis Graeci ab Usserio editi lectionem vitiosam esse fateor, sed hujus corruptionis fontem aperire facile est. Graeculi ignorabant menses Syro Macedonicos a Julianis discrepantes olim fuisse, cum vero sibi persuaderent Xanthicum mensem a Smyrnensibus memoratum esse purum putum Julianum Aprilem 7. Cal. Maii pro 7 Cal. April reposuerunt, alii etiam has voces δευτέρα ἱσαμένου expunxerunt, ut supervacaneas, ipsas enim in Codice suo non reperit vetus interpres Latinus, ut patet his verbis: Martyrium Polycarpi mense Aprili 7. Calend maii. liquet istos librarios et veterem interpretem non dubitasse Polycarpum mortem oppetiisse pro Christo mense Aprili. bonis viris ignoscendum. Hallucinati sunt, sed in similem lapidem impegit vir doctus Halloixius hoc erudito saeculo. Contendit enim Polycarpum passum esse mense Aprili. imo magni illi Heroes Josephus Scaliger et Dionysius Petavius in his mensibus Syro Macedonicis explanandis aliquoties caespitarunt.

Sed jam palmare argumentum Valesii et Norisii ex actis passionis S^ti^ Pionii desumptum discutiendi onus nobis incumbit. huic disputationi plane ut satisfiat, in acta ipsa inquirere annumque et diem verum obitus Pionii assignare operae pretium duximus. acta vera et sincera hujus Martyrii olim extitisse nullus dubitare poterit, eorum enim meminit Eusebius in Chronico et lib. 4. hist. Cap. 15 eadem insigni operi suo de Martyribus inseruerat, ut ipse testatur loco ante mox laudato. eo loci summam seu κεφάλαιον horum actorum refert Eusebius. omnino autem convenit narrationi actorum illorum quae hodie prae manibus habemus. in istis omnia fere primaevam antiquitatem redolent, et a Mythologorum stylo et commentis longe abhorrent, sed librarios actis istis nonnullas
notas

notas chronologicas inseruisse Certissimum Existimamus. | Eusebius quippe locis citatis Ex chronico et Historia disertissime asseverat Pionium sub Marco Antonino passum esse eodem tempore quo Polycarpus Martyrium fecit ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου quae cum ita sint procul dubio non vidit Eusebius has omnes notas chronologicas quas legimus in hodiernis et vulgatis actis. eadem enim ista reperiuntur juxta Editionem Baronianam in Annalibus.

» haec acta sunt Julio Quintiliano Proconsule Magistratum gerente Metio Quinto
» Trajano Decio et Grato 2do Trajano decio ante 4. id. Martias More Romano,
» Asiae autem More Septimi Mensis 11 (lege 12) die Sabbati horâ 10.a ut nos
» autem loquimur Christiani Regnante Domino nostro Jesu Christo in Saecula
» Saeculorum Amen. |

Si Eusebius alicubi legisset Pionium sub Trajano Decio Passum, quomodo potuisset asseverare id contigisse sub Marco Antonino eodem tempore ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου quo Polycarpus supplicio affectus est. igitur Aevo Eusebii, nec nomen Trajani Decii nec ipsius cum Grato consulatus appositus adhuc fuerat Martyrii Pionii actis, sed nomen Proconsulis quod solum primaeva acta nominare solebant, ut ex sinceris actis Sancti Polycarpi, Sanctorum Martyrum Lugdunensium, Sanctarumque perpetuae et felicitatis constat.

Eusebius nullibi tempora Martyriorum Consulibus notat. itaque vetustissimis actis Pionii appositum fuerat nomen Proconsulis Asiae Quintiliani quem immediate successisse L. Statio Quadrato sub quo passus est Polycarpus Existimavit Eusebius. nam paulo post Polycarpum ὑπὸ τὴν αὐτὴν περίοδον τοῦ χρόνου Pionium fuisse combustum asseverat. at interpolator actorum Pionii vixit ut suspicor Constantinopoli, ubi annus incipiebat a Calendis Septembribus seu a primâ die Gorpiaei Septembri Juliano aequati. idcirco Mensis 7.us secundum mentem hujus Graeculi erat Martius seu Dystrus. duodecimusque dies hujus Mensis incidebat in 4 idus Martias. non dubitavit igitur interpolator diem 12 Mensis 7.i vere esse 4. id. Martias. longe a vero aberravit Graeculus. nam Mensis 7.us Asianorum, ut probavimus incipiebat ab Aequinoctio verno. istud cum alius forsan agnovisset Mensem 6.um pro 7.o reposuit, quam lectionem sequitur autor chronici Alexandrini; sed hos omnes errasse certissimum est. nam Pionius, ut diserte traditur in actis combustus est sabbato. ut autem sabbatum inciderit in 12 Martii littera Dominicalis debuit esse B at haec littera imperante Decio nunquam cucurrit. igitur falsum est Pionium supplicio affectum sub Decio 12. Martii sabbato. nec quis dicat

17 Codicem Baronii habuisse diem XI. nam in Chronico Alexandrino habetur numerus 12. numerus XI non convenit cum 4. idus qui 12 diem significat. praeterea si Sabbato passus est Pionius XI Martii littera Dominicalis debuit esse A sed ipsa non cucurrit imperante Decio. igitur Pionius Martyrium non fecit die XI aut 12 Martii. pariter interpolatus est hic locus in supra laudatis actis: 23. mensis februarii die, cum Sabbatum Magnum instaret, Natalis scilicet B. Martyris Polycarpi, urgente Decii persecutione Pionius Presbyter et Sabina &c. comprehensi sunt. primo auctor horum actorum, si haec verba scripsit: 23. Mensis februarii die. adhibuit Menses romanos et quidem solos eo loci, quod certe non fecit, nam utitur Asiaticis. a sequioris igitur aevi scriptoribus qui putabant Polycarpum passum esse 23 februarii haec addita fuere. praeterea nota haec verba: cum Sabbatum Magnum instaret, Natalis scilicet B. Polycarpi; designant enim diem illum qui judaeis erat Sabbatum Magnum, christianis fuisse Natali et Martyrio Polycarpi celebrem Smyrnae sub Decio. sed Sabbatum Magnum erat festum mobile, ergo etiam apud Asianos non die fixo et certo anni solaris, sed Sabbato magno quocumque die mensis accidisset fiebat memoria Martyrii Polycarpi. tandem comprehensus est Pionius Sabbato Magno quod immediate Pascha praecedit, ut supra demonstravi. at nunquam incidere potuit hoc Sabbatum in 23. februarii. Notae igitur illae Chronologicae actis assutae fuere a sequioris aevi Graeculis minus peritis, licet bona fide, ut textum actorum dilucidarent. pares interpolationes in multis actis reperiuntur, et acta ipsa non rejiciuntur. ideo non aequo jure haec acta S. Pionii a quibusdam magnis viris fuerunt contempta et explosa. nam si aurum a paucis scoriis secernas, habemus hodie eadem omnino quae habuit Eusebius. pro positis concludimus Pionium captum fuisse Magno Sabbato, quod incidebat anno 251 in 22. Martii et postea combustum fuisse Smyrnae die 12. 7.i Mensis Asianorum quae incidit in Sabbatum 4. Aprilis anno 251. littera Dominicali E anno autem praecedenti passus non est Pionius. littera enim Dominicalis currebat F et dies 12 mensis 7.i Asiatici incidebat in feriam 6.am non in Sabbatum.

quod attinet ad opinionem Eusebii invictis refellitur argumentis, nam si sub Marco Aurelio post Polycarpum passus est Pionius inde sequitur non solum persecutionem post supplicium Polycarpi fuisse in Asia continuatam, sed post obitum ejus fuisse adhuc multo magis crudelem, quod tamen falsissimum est. sedatam enim fuisse persecutionem in Asia post Polycarpi necem luculento testimonio docet nos Ecclesia Smyrnensis his verbis: ἔγραψαμεν

ὑμῖν ἀδελφοὶ τὰ κατὰ τοὺς μαρτυρήσαντας καὶ τὸν μακάριον Πολύκαρπον ὅστις
ὥσπερ ~~σφ~~ ἐπισφραγίσας τῇ μαρτυρίᾳ αὐτοῦ κατέπαυσε τὸν διωγμόν. Vetus
interpres: Scripsimus Vobis fratres de Martyribus, et de Beato Polycarpo, qui velut
signaculum fidei sedavit persecutionem inimici. Secundo in laudatis Pionii actis
hæc habentur. æditurus dixit: Nostis plane decretum Imperatoris, quo Vobis (id
est Christianis omnibus) jubetur, ut diis sacrificetis. Simile Edictum emisisse Decium
nullus dubitat, sed M. Aurelium aut L. Verum hoc unquam decrevisse, ut Christi-
ani omnes vel sacrificarent vel Necarentur; falsum est prorsus. rescripsit quidem
Marcus præsidi Galliæ Lugdunensis ut capite plecterentur illi Christiani quos
inconsulto Principe Comprehenderat Præses, nisi ipsi negarent. Sed inde nullus
Colliget Marcum emisisse decreta quibus omnes Christiani ubique ad sacrificia
offerenda Cogerentur si renuerent, vel truci darentur. Tertio in laudatis actis
hæc reperiuntur. Ecce Eudæmon Præsul Vester (Smyrnensis) immolavit, vos
item obtemperate. et paulo inferius: Sublatum (Pionium) atque Clamantem
gestarunt, humique ante Aram deposuerunt, ubi adhuc adstabat Eudæmon
qui Idolis sacrificaverat. Si sententia Eusebii Vera esset immediatus successor
Polycarpi in persecutione turpiter lapsus factus esset Apostata, quod etiam a Vero
longe aberrat. Irenæus enim lib. 3. Cap. 3. Contra hæreticos asserens Ecclesiæ
Catholicæ Doctrinam, ipsam probat ex Constanti et illibata fide Ecclesiarum
orthodoxarum Asiæ et imprimis ex fide successorum Polycarpi μαρτυροῦσι,
inquit Irenæus, μέχρι νῦν διαδεδεγμένοι τὸν τοῦ Πολυκάρπου θρόνον. quâ
fronte Irenæus Contra hæreticos scribens Doctrinam Ecclesiæ orthodoxæ as-
serere et Confirmare ausus esset fide infamis Apostatæ? hoc absurdum fuisset
et alienum a Mente non solum Viri Pii et frugi, sed Cordati. Erravit igitur
Eusebius Centum fere Annorum prochronismo, quod magis fateri ingenue præs-
tat quam Veritatem impugnare, ut auctoritas Eusebii salva et immota remaneat
sed historicus iste, sæpe actis et libris optimis quos habebat præ manibus non bene
usus est. Anachronismum Eusebii sic Castigat Usserius dissertatione de Anno
Solari Macedonum Cap. 3. in Asianorum Martyrum actis quæ in unum Codicem
redacta olim Circumferebantur, simul Conjunctæ legebantur binæ Ecclesiæ Smyr-
nensis Epistolæ de Martyrio Polycarpi una, de Pionii altera quæ propter omissam
fortasse posterioris Epistolæ ἐπιγραφὴν, cum pro una Continua essent acceptæ
Erroris inde data est occasio, ut eodem anno uterque Martyr Smyrnæ passus fuisse
Existimaretur. hucusque Usserius. Virorum igitur Doctissimorum Consensu liquet
Eusebium Vanâ et futili Conjecturâ ductum Epocham Martyrii Pionii anno 7.
Marci Antonini refixisse, nempe quod, ut ipsemet ait lib. 4. Cap. 15. ἐν τῇ
ᾗ περὶ αὐτοῦ (Πολυκάρπου) γραφῇ καὶ ἄλλα μαρτύρια συνῆπτο κατὰ τὴν

αὐτὴν πεπραγμένα.] hæc de anno et die Passionis S. Pionii dicenda habebam. restat, ut lectorem Moneam Norisium pag. 26 Negare Pionium Captum fuisse die Sabbato vel Combustum etiam Sabbato. [præterea, inquit eruditissimus Criticus dies feriæ 7.æ sive Sabbati utrobique aliena manu infarta est; Sed hæc divinatio nullo Negotio refellitur. in actis enim non solum Scribitur Pionium postquam Sabbato Sanctum Panem et aquam Cepisset, Captum et per urbem ductum fuisse. Sed additur tunc temporis impletum totum forum, et Superiores Porticus tum viris græcis atque judæis, tum etiam Mulieribus, quia cum Magnum esset Sabbatum feriabantur. Si hæc tolli debent ne opiniones Clarissimi Norisii funditus Corruant, Explodenda erunt integra acta Pionii. inter Spuria enim et fictitia rejicienda esse non Ambigetur

Jam redeamus ad Polycarpum. diem Martyrii Ejus firmis, ut spero, Argumentis demonstravi, nihil tamen ~~de~~ de anno quo obiit vir apostolicus tradidi. Sententias Eusebii, Livilei, Norisii et Bucherii, ut a vero prorsus abhorrentes rejeci. Examinanda igitur est Celeberrimi Usserii opinio. Sic autem Systema suum Chronologicum firmat vir præstantissimus. [anno æræ nostræ Christianæ 169. Cyclo Solis X. Dominicali littera B Existente terminus Paschalis Alexandrinus fuit Martii die 29 Calippicus Martii 30 vel 31 quo et juxta Hodiernum Calculum Pascha fuisset Celebrandum Sabbatum quod præcessit lunam 14 qua Polycarpus cum Asianis suis Pascha agere erat Solitus, in Martii diem 26 incurrit hoc est in 7. Cal. Apriles.] hæc usque Usserius qui de fide tabularum Paschalium judaicarum quas Bucherius Concinnavit dubitasset, nullam tamen dubitationis suæ Causam adtulit, nullum etiam alium initio Nisan diem Assignavit, quod ad rem ipsam Conficiendam prorsus Necessarium fuit, falsoque periodum Calippicam admissam tunc temporis a Judæis Supposuit.

Præterea Ex Polycarpi ætate demonstrare possumus Eundem Martyrem Supplicio Extremo affectum non fuisse anno 169. mortuus est enim annos natus 86, ut ipsemet Asseverat Sanctus Martyr Proconsulem alloquens ὀγδοήκοντα ϗ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ. ita textus Græcus Editus ab Usserio, qui sic latine vestitur a veteri interprete: Octogesimum jam et Sextum Annum (Completum) ætatis ingredior, nomini ejus probatus et Serviens Semper. [Halloixius primus verba Polycarpi ad Annos non ætatis sed Christianæ professionis detorsit, et hæc verba recitat quidem non prout leguntur in ipsa Epistola Smyrnensium, Sed ut Eadem refert Eusebius lib. 4 histor. ibi enim legitur tantum ὀγδοήκοντα ϗ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ quæ

ambigua sunt et referri possunt vel ad annos ætatis vel ad Christianæ professionis. Sed quo jure textus authenticus Mutabitur et reformabitur? juxta Citationem Eusebii. quis nescit ipsum et alias non de verbo ad verbum semper ea quæ desumunt ex autoribus etiam sacris et biblicis recitare, quo jure ambiguis verbis quæ leguntur apud Eusebium clara et perspicua Epistolæ Smyrnensium Explodentur? Sed frustra sunt Hallovius Usserius et eorum sequaces in tuenda lectione Eusebii. Eandem enim refert auctor Chronici alexandrini attamen asserit diserte Polycarpum vivi Combusio Necatum annum agentem 87. Græci igitur verba Eusebii a lectione vulgata Epistolæ sensu discrepare non Existimabant. idem sentiebant latini, quod probatur non modo auctoritate veteris interpretis sed Etiam Gregorii Turonensis 86 ætatis suæ anno velut Holocaustum paris simum per ignem Consecratur Domino Polycarpus inquit Turonensis lib. 1. hist. francor. Cap. 28. mirus igitur est latinorum et Græcorum Consensus in statuenda ætate nostri Sancti Martyris. itaque Concludimus iniquum prorsus esse Epistolæ Smyrnensium verba, cujus certus sensus et indubitatus est rejicere, quia ipsa ut citantur ab Eusebio Ambigua sunt, referrique possunt vel ad Annos ætatis vel Christianæ professionis, præcipue cum Latini et Græci omnes eadem verba, sive uti legebantur in ipsamet Epistola sive apud Eusebium unanimi Consensu de Annis ætatis intellexerint. nihil igitur Censuerit in historicis et criticis si verum non sit Polycarpum Martyrio Coronatum fuisse annos natum 86 Completos et 87 incompletos seu inchoatos.

S. Polycarpus obiit Anno Æræ vulgaris 169 annum agens 87 profecto natus est anno Christi 83 quod tamen impossibile est. nam Polycarpus ordinatus fuit Episcopus Smyrnæ a Joanne Apostolo et aliis Apostolis qui adhuc in vivis erant, ut scribit S. Irenæus Polycarpi discipulus lib. 3. cap. 3 ita vetus interpres. Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ex iis qui Dominum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia in ea quæ est Smyrnis Ecclesia Constitutus Episcopus quem et nos vidimus in prima nostra ætate et in Epistola ad Victorem Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 6 Cap. 26 idem Irenæus testatur Polycarpum cum Joanne Apostolo et cum reliquis Apostolis versatum fuisse. Tertullianus in lib. de præscriptionibus Cap. 32 idem de Polycarpo Asserit his verbis: hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ Census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne Collocatum refert. idem tradit Eusebius histor. Ecclesiast. Cap. 35 lib. 3 floruit tunc, inquit, in Asia Apostolorum familiaris Polycarpus cui Smyrnensis Ecclesiæ ab his qui Dominum viderant et ipsi Ministraverant Episcopatus Commissus fuit. idem habet Hieronymus Catalogo Scriptorum

 Ecclesiast. Polycarpus Joannis Apostoli Discipulus et ab Eo Smyrnæ Episcopus ordinatus totius Asiæ Princeps fuit, quippe qui nonnullos Apostolorum et Eorum qui viderant Dominum Magistros habuerit et viderit adhuc sanctum et Charissimum Discipulum Scribere Joannem Apostolum in insula Patmo Exulantem in persecutione Domitiani jubet ipsemet Dominus Jesus Christus. Erat enim Polycarpus una è Stellis Septem Ecclesiarum Asiæ quarum Stellarum Mysterium Joanni ostensum fuerat. ista autem legimus Apocalypsis Cap. II. et Angelo idest Episcopo Malac hassibout מלאך הציבור hebraice Smyrnæ Ecclesiæ Polycarpo, Scribe: hæc dicit primus et Novissimus qui fuit Mortuus et vivit. Scio tribulationem tuam et paupertatem, Sed dives es. et blasphemaris ab his qui se dicunt judæos esse sed non sunt, sed sunt Synagoga Sathanæ, nihil eorum timeas quæ passurus ~~es~~ es. ecce missurus est Diabolus aliquos ex vobis in Carcerem, ut tentemini et habebitis tribulationem diebus decem esto fidelis usque ad Mortem et dabo tibi Coronam vitæ. hæc ultima verba ad Martyrium Polycarpi referenda esse non dubito

Ex his omnibus Colligo Antequam Excitata fuisset a Domitiano in Christianos persecutio et in Exilium mitteretur Joannes Polycarpum a Joanne et aliis quibusdam Apostolis adhuc Superstitibus ordinatum fuisse Episcopum Smyrnensem. at persecutio illa decreta fuit Sub finem Anni 93 aut initium Sequentis. Ergo S. Polycarpus obiit anno Æræ Christi 169 agens vitæ Suæ annum 86 natus est anno Christi 83. decennis idcirco Creatus est Episcopus et in Cunis Cum Apostolis Conversatus est, quo nihil absurdius dici posset nec Citius Sub Marco Antonino quam Anno Sæpius laudato 169 interire potuit Polycarpus die 26 Martii Sabbato, nam ut Sabbatum incidat in 26 Martii Currere debet Necessario littera Dominicalis B quod non Contigit in præcedentibus Annis Sub Imperio Marci. igitur Polycarpus Martyrio non est Coronatus Sub Marco Antonino, Sed Sub Patre ejus adoptatore Antonino Pio.

Non pauci forsan Conquerentur a me opinionem receptam Convelli, et Eusebio hac in parte fidem derogare piaculum esse putabunt, Sed non video cur licuerit Doctissimis et Celeberrimis viris Baronio, Usserio, Valesio, Pagio Norisio et aliis quam plurimis fœdissimi Erroris et quasi Stupendæ incuriæ notam inurere Eusebio Eo quod Pionium ~~p~~ mortem oppetiisse pro Christo eodem tempore quo Polycarpus Necatus est Statuerit, cur inquam, Baronio Petavio et aliis Celeberrimis Chronologis asserere licuerit Polycarpum Romam Sub Aniceto Pontifice venisse Imperante Marco Antonino, licet Eusebius lib. 4. hist. Cap. 14 et Hieronymus lib. de Script. Eccles. Polycarpum Romam venisse Imperante Seniore Antonino diserte testentur.

Eusebius Decio Imperatori Suppar fuit et tempus Martyrii Pionii sub Decio passi ignoravit, fœdoque Centum Circiter Annorum prochronismo ad tempora Marci Antonini ~~Suppar fuit~~ protrusit, tamen Cum de Anno vel tempore Martyrii Polycarpi tam longe ab ævo historici nostri dissiti agitur, Eusebius Errori obnoxius nequaquam est, nec quidquam absque temeritate culpabili recedet a Systemate historico Cæsareensis Episcopi. appello omnes æquos judices ubinam boni et æqui Amor?

Eusebius nullibi gravius peccat quam in Enarrandis historiis Antoninorum quos multoties imperite Confundit. imo lib. 4. c. 13. recitat rescriptum Marci Antonini Augusti Armeniaci quod tamen refert Seniori Antonino. quid ad hæc reponent Eruditi Nostri? nonne desertissimis verbis Eusebius tribuit Patri quod ad filium pertinebat. an ipsis revelatum est inter tot Cæspitationes et Hallucinationes semel veritatem reperisse Eusebium, cum Polycarpi Martyrii tempus Assignavit anno 6 vel 7. Marci Antonini anno nempe Christi vel 166 vel sequenti; sed his duobus Annis passum esse Sanctum Martyrem falsissimum est et impossibile. igitur etiam Erravisse Eusebium in Assignando tempore hujus Martyrii Eruditi nostri fateri Coguntur. reponent et instabunt omnes Scriptores Eusebio Posteriores Ejus sententiæ subscripsisse. sed hoc pernego. nam post Martyrium Irenæi in vivis fuisse Polycarpum refert Chronicon Sancti Benigni. cum victore Romano Episcopo eum vixisse tradit Sozomenus lib. 7. Cap. 19 Et totam autem, inquit, olim de hoc festo Paschatis Controversiam sapientissime dissolvisse mihi videntur victor tunc temporis Romæ Episcopus et Polycarpus Smyrnæus καὶ Πολύκαρπον τὸν Σμυρναῖον. Illustrissimus Præsul Marca pro Polycarpo quidem legit Polycratem, sed frustra hæc tentantur in Sozomeno cum Polycrates non fuerit Smyrnæ sed Ephesi Episcopus.) Præterea Socrates Polycarpum usque ad Imperium Gordiani vixisse tradit lib. 5. hist. Cap. 22 his verbis: quod Polycarpus Smyrnæ Episcopus qui postea sub Gordiano Martyrium perpessus est. in Menæis vero Ecclesiæ Græcæ hæc leguntur de Polycarpo. Polycarpus in persecutione Deciana Comprehensus ad Proconsulem ductus est et igne agonem Consummavit. neque mirum est si aliqui Scriptores Martyres eos qui diu ante Decium floruerant sub eo obiisse tradant, cum ii qui diu post Valerianum ipsa decima persecutione passi sunt, ab aliquibus etiam Antiquissimis et Supparibus obiisse sub Decio et Valeriano putantur. de Sancto Methodio Hieronymus in Catalogo ad Extremum (inquit) Novissimæ persecutionis, sive ut alii affirmant, sub Decio et Valeriano in Chalcide Græciæ Martyrio Coronatus est. Scripsit multa

Methodius non tantum contra Origenem diu post Adamantii mortem, sed et contra Porphyrium sub Diocletiani imperio et tamen nonnulli etiam ætate Hieronymi non verebantur passionem ejus Decii et Valeriani persecutioni adscribere. Sententias Socratis, Sozomeni et Menæorum falsas et absurdas prorsus esse non inficias ibo, sed Eusebii sententia nonminus falsa et absurda est, quam si sequaris Polycarpum decennem Episcopum constitues. dices tandem Hieronymum, Prosperum in chronico, Bedam, Adonem, Pseudo dextrum, et Martyrologia Eusebium sequi. quid inde? omnes isti nullo excepto Pionium passum esse sub Marco Antonino statuunt, fœdo tamen centum annorum prochronismo, ipsis fatentibus adversariis. nulla igitur in hâc de quâ agitur quæstione autoritas erit concedenda, nisi ipsis specialim annum et tempus Martyrii Polycarpi cælitus revelatum fuisse demonstretur. nec proderit Eruditissimis viris testem advocare Aristidem Ethnicum asserentem quadratum fuisse proconsulem Asiæ sub Marco. nam sæculo secundo tres quadrati fuere Asiæ Proconsules. primus fuit Antius Quadratus qui collegâ Candido consul fuit sub Trajano anno 105 eum Proconsulem Asiæ fuisse docet nos inscriptio lecta primum a Smithio Anglo et edita in Notitia septem Asiæ Ecclesiarum, et postea lecta iterum et edita a Sponio et Whelero in Itinerariis. 2us fuit Lucius Statius Quadratus qui consul fuit sub Antonino Pio anno ~~142~~ 142 collegâ Cuspio Rufino sub isto passus est Polycarpus ut docet nos Epistola Smyrnensium. 3us fuit Titus Numidius seu potius Ummidius Quadratus, qui collega fuit Veri Augusti in consulatu anno 167. hujus meminit Aristides, et Ummidius iste Quadratus is est quem memoravit Philostratus et Vari Magistrum dixit, quadratus iste, inquam, non fuit Statius qui consul processit anno 142 Varus enim Pergæus cujus meminit Philostratus mortuus est juvenis audivit autem Quadratum jam consulem et Alexandro junior fuit, qui erat Marco ab Epistolis in bello Marcomannico suscepto post consulatum Umidii Quadrati, quibus addendum est absurdum prorsus videri L. Statium quadratum tandem Asiam sortitum fuisse anno 27 post suum consulatum

Non itaque sub Marco obiit Polycarpus, sed sub Pio seu seniore Antonino, ut diserte scribitur in chronico vetusto manuscripto asservato in Bibliothecâ Vossii citatoque a Joanne Pearsonio dissertatione Posthuma 2. cap. 14. num. 1. his verbis: post Adrianum autem imperavit Antoninus annos 22 subquo ἐφ' οὗ Πολύκαρπος ὁ Μαθητὴς Ἰωάννου τοῦ Εὐαγγελιστοῦ Polycarpus Joannis Evangelistæ Discipulus et Justinus Philosophus Martyrium subierunt.

Characteres diei optime conveniunt annis 158 et 147 sub Pio Antonino, sed annus 158 non bene convenit Proconsulatui L. Statii -

Quadrati parum probabile enim videtur eum Provinciam Proconsularem tantum sortitum esse anno 16 post Consulatum. præterea si anno 158 tam acerbis et horrendis Cruciatibus necabantur Christiani, necessario Concludendum erit ipsos persecutionem atrocissimam passos esse usque ad ultimos Senioris Antonini Annos quod falsum est. nam Eusebius, Sulpitius Severus et alii fere omnes scriptores Christiani unanimi Consensu testantur Pii et optimi Principis beneficentiâ et Curâ pacem tranquillam et bene longam Concessam fuisse Christianis; annus igitur obitus S. Polycarpi omnino retrahendus ad Annum vulgarem 147. quæ sententia est Clarissimi et eruditissimi viri Johannis Pearsonii dissertatione Posthuma 2ᵈᵃ Characteresque Chronologicos hujus Martyrii sic notat Cap. 20 num. 2. Periodus Bucheriana anno Domini 147 quo nos Polycarpum passum esse statuimus optime Convenit, in qua eo anno primus dies Nisan est Martii 16ᵘˢ. et 14 Nisan est Martii 29 feria 3ᵗⁱᵃ ac proinde Sabbatum Magnum eum diem proxime præcedens 26 Martii 7. cal. April. ut acta referunt. neque tantum per tabulas Bucherianas recte procedunt, sed etiam si Lunæ Phasim Computamus, eodem res accedit. nam Anno Domini 147 primus dies Nisan erat Martii vicesimus.

Longitudo Solis	34 grad	28 Min.	32
Longitudo Lunæ	4	13	01
distantia Lunæ a Sole occidente	16. 19		

quare 14 Nisan sive Pascha Judaicum fuit 2ᵈᵘˢ dies Aprilis quem cum Judæis Celebrabant Smyrnenses. feria 7ᵐᵃ proinde Sabbatum illud Magnum Judaicum Pascha proxime præcedens fuit 26 dies Martii seu 7. cal. Apriles. fuit autem Pascha ἐορτάσιμον in occidente Celebratum eodem anno 147 etiam die 3. Aprilis. hucusque Pearsonius; mihi quidem tabulas Bucherianas propugnare Animus non est; sed Calculus Astronomicus nobis prorsus favet, et quidem sane totus noster est Ptolomæus Coævus Polycarpi Methodus quidem Ptolomaica circa insignis Philosophi et Mathematici ævum Motus Solis et lunæ Coelo Convenienter repræsentabat, quod nobis hac in disceptatione sufficit. anno itaque Periodi Julianæ 4860 Christi 147 littera Dominicali B Novilunium Medium Alexandriæ hora 13 post Mediam Noctem seu 3 post Meridiem min. 36. sol præcessit lunam et tempus ~~post~~ prosthaphæreticum subtrahendum a media syzygia fuit horarum 4. Min. 52. itaque Novilunium verum Alexandriæ Contigit hora 10ᵐᵃ Matutina min 46. unde sequente vespera Calata fuit Neomenia Judaica Lunæ Nisan.

Hic non urgeo Argumentum quod Pearsonius petit a quinquennio quo Elapso provinciam jure Proconsulari sortiri debebat Statius Quadratus

juxta Augusti nempe Constitutionem cujus meminit Dio lib. 53 pag. 503 C. D.

Nam tempore Marci Antonini dubium mihi videtur has regulas semper juxta juris rigorem observatas fuisse, nec huic sortitionum tempori quinquennio nempe insistendum esse reor. attamen Quadratum anno a Consulatu 26 asiam sortitum esse absurdum videtur et a verisimili prorsus abhorret, et quidem clarissimo vel judice Norisio vincam cujus verba ex dissertatione prima operis de Epochis Syromacedonum Cap. 4 pag. 112 et 113 referre absre non erit. nunquam inquit, ea sortitio ad annum usque 20 a gesto Consulatu differri potuit, ut innumeris exemplis constat apud Pighium in tomo 3. annalium Romanorum.

fandem quidam opponere poterit Polycarpum Romam venisse Ecclesiam regente Aniceto. Anicetus autem post annum 147 sedit juxta Chronologiam Eusebii aut Caeterorum, qui tamen Pontificatus Aniceti initia ponunt ad annum Dionysianum 163 quod si verum esset Polycarpus anno 60 vel sequenti ejusdem Epochae tunc annum vitae exegerat 104 cum Romam venit. at quis credat ipsum hac aetate iter ex asia Romam confecisse? nemo ni fallor. sed horum primorum Pontificum incertissimam esse chronologiam jam libenter agnoscunt praestantiores Chronologi, Calculosque Eusebii et Baronii longe a vero recedere usque ad Victorem Papam non diffitentur. nullus igitur est ex hac vitiosissima Chronologia Pontificia argumentandi locus. adhuc multo minoris ponderis est argumentum quod deducunt Valesius et Norisius ex diebus Natalitiis beatorum Polycarpi et Pionii. nam festa et Natalitia Martyrum et aliorum sanctorum vetustiorum non diebus ipsismet quibus passi sunt aut ad superos evolarunt celebrari in utraque Ecclesia Latina et Graeca certissimum est. de anno et die Martyriorum Polycarpi et Pionii hic fusius disserere operae pretium duxi, non solum ut vetustissimae Chronologiae Ecclesiasticae praeclara lux affulgere possit, sed ut omnia quae difficilia videbantur in exponendis anno et mensibus Asianorum plana fierent. et quidem hac in quaestione solvenda arbitramur nos ea strenue praestitisse quae ratio et Doctrina praescripserit. nam argumentorum nostrorum aciem non obtundet vel illa prorsus uti spero elevabit ὁ δεῖνα qui contra nos testem advocat Polycarpum ipsum Epistola ad Philippenses. ait quidem S. Martyr ibidem: Ego tale nihil sensi in vobis vel audivi in quibus laboravit Beatus Paulus, qui estis in principio Epistolae ejus. nos autem nondum noveramus Deum. hinc id argumenti ducitur Polycarpus cum scribebat Apostolus ad Philippenses, ante finem scilicet anni 63 jam primos infantiae annos exegerat. tunc enim inanes Deos colebat, quod haec verba indicant non noveramus Deum. Caeterum si obiit Polycarpus annum saltem agens 87 exacto 86 mense Martio anni Christianae aera 147 vix triennis erat labente anno 63. verum ista nihili sunt. nae argumentum istud futile est. nam haec verba: nos autem nondum noveramus Deum, non ad Polycarpi personam sed ad populum seu Ecclesiam Smyrnensem

manifestissime referuntur. Confert enim Sanctus Martyr populum Philippensem qui inter primos Evangelicam Doctrinam suscepit, docente Paulo, cum Smyrnensi qui non Paulum Magistrum habuit sed postea aliquanto a Joanne institutus fuit. restat ut Verba Aristidis in sermone 1.º sacro laudata a Norisio et ab ipso Explicata etiam pro modulo meo Expendam. Aristides, inquit Norisius dissert. 1. pag. 26, menses Posidæonem et Lenæonem apud Jones laudat. eadem pag. et sequentibus Vir Clarissimus recte adstruit hos Menses ab Aristide memoratos fuisse ipsosmet Asianos Solares qui Nominibus Veterum Jonicorum Mensium appellabantur, aliquoties accuratius de his Mensibus et eorum Origine disquirere abs re non erit.

Posidæon et Lenæon Nomina attica et Mensium atticorum fuere. nam Jones Atheniensium Coloni multa a Conditoribus suis mutuata diu retinuerunt. testem advoco omni Exceptione Majorem Thucydidem lib. 2. pag. 112 edit. Henr. Steph. docet nos quidem multa delubra fuisse athenis in arce seu Acropoli et præcipue τὸ ἐν λίμναις Διονύσου bacchi in limine ᾧ τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια τῇ δωδεκάτῃ ποιεῖται ἐν μηνὶ ἀνθεστηριῶνι cui Vetustiora Bacchanalia fiunt 12 mensis Antherterionis die. addit ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν quemadmodum nunc quoque Jones ab Atheniensibus Oriundi in more habent et lib. 1. pag. 4. majorem etiam hominum frequentia Civitatem fecerunt, etiamut postea non sufficiente jam Attica Colonias in Joniam quoque dimiserint et paginis 4 et 5. nec multum tempus erat ex quo apud eos qui ex senioribus locupletiores erant ferre desierunt lineas tunicas et Cincinnos Comæ Capitis nexu aurearum Cicadarum redimire unde apud Jonum quoque seniores κατὰ τὸ ξυγγενὲς propter Cognationem viguit hic cultus. licet autem Jones cum reliquis Asianis Menses Solares Macedonum recepissent, non tamen Vetera Nomina attica prorsus aboleri apud ipsos potuerant. Sub Seleuco Callinico Asiæ rege ejusdem Majestati tuendæ gratia inter Smyrnenses et Magnesios fœdus initum fuit quod in Marmore sculpi Curaverunt. hujus fœderis habetur decretum inter Marmora Oxoniensia pag. 1. et seqq. cujus initio hæc Verba leguntur ἐπὶ ἱερέως Ἡγησίου στεφανοφόρου δὲ Πυθοδώρου μηνὸς Ληναιῶνος ἀγαθῇ τύχῃ. idest Pontifice Hegesia (Smyrnæorum scilicet) et Stephanephoro Pythodoro (magnetum nempe) nam Stephanephorus seu Coronam gestans erat summus sacrorum Magnesiæ Præfectus, ut docet nos Posis vetustissimus rerum Magneticarum scriptor, apud Athenæum lib. 12 cap. 8. sub finem. ibidem enim hæc legimus Πόσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ

τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν ἀναλαβόντα θῦσαι Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι. Possis lib. 3. Magneticorum ait Themistoclem in Magnesia cum Stephanophori Magistratum accepisset Minervæ sacrificasse festumque illud Panathenea nominasse. præfigitur etiam decreto Smyrnæorum et Magnesiorum nomen Mensis, Scilicet Lenæon μηνὸς Ληναιῶνος. inde Colligit Usserius Cap. 2 dissert. de anno Solari Macedonum Magnesiæ ad Mæandrum incolas æque ac Cæteros Asianos Ionicis Mensibus usos fuisse perperam, etenim fœdus illud sancitum cum fuit sub Seleuco Callinico tunc temporis alium morem apud Asianos positum non fuisse, alium vero sub Antoninis aliquot Sæculis elapsis ab obitu Callinici, non video qua ratione adstrui posset. præterea ex more recepto a Smyrnæis ævo Sancti Polycarpi non bene Colligit Usserius Menses Smyrnæorum fuisse diversos a Mensibus Magnesiorum. imo Smyrnenses in hoc non discrepabant a Sociis suis. nam decretum fœderis unicuique populo, ut patet, Commune est idcirco Cum in aliquo una Civitas non Convenit cum altera quæcumque ad ambos populos separatim pertinent diserte reponuntur, utriusque scilicet Civitatis summus Magistratus non Confunditur. (notatur enim Smyrnæorum Principem appellatum fuisse ἱερέα Pontificem, Magnesiorum Stephanephorum, cum autem Smyrna nobilior urbs et Celebris magis quam Magnesia foret, ubique Sociæ præponitur. cur omissis Mensibus Smyrnæorum inferioris et Minoris Civitatis Mensis Communi decreto fuisset appositus? Sed divinatio Usserii refellitur ex ipso met decreto, cujus robore Constitutum est Smyrnæos suis moribus semper usuros esse etiam si Magnesiam incolerent his verbis. pag. 10. utantor autem postquam civium numero adscripti fuerint etiam in Magnesia καὶ ἐν Μαγνησίᾳ in Contractibus et actionibus quæ ad Smyrnæos spectant legibus Smyrnæorum usus igitur apud Græcos Asianos Mensium atticorum nondum abolitus sub Seleuco Callinico admittebantur quæ a Smyrnæis Magnesiis et aliis

Sed non immerito suspicamur Menses Smyrnæorum et Magnesianorum qui sub Callinico appellationibus nuncupabantur atticis non veros amplius tunc fuisse Menses atticos Lunares, nam ut ex Aristide probavimus Menses Macedonicos Solares Asianorum a Smyrnæis etiam Nominibus atticis insignitos fuisse Constat.

Jam revertamur ad Aristidem qui Sermone 1. de ~~Sanctis~~ Sacris immediate Posideoni subjungit Mensem Lenæonem, unde invicte refelluntur Viri Magni qui pertinacissime Contenderunt Posidæonem non alium fuisse a

Lenæone contra Hesychii auctoritatem quam immerito rejecerunt. Dionysia, inquit Hesychius, festum Athenis Baccho agebatur. unum quidem κατ᾽ ἀγροὺς in agris mense Posidæone. τὰ δὲ ΚΛΑΙΑ emenda ΠΑΛΑΙΑ vetus aliud mense Lenæone. alterum ἐν ἄστει in urbe Elaphebolione. mensis ille Lenæon inter Posidæonem et Elaphebolionem positus erat Antesterion. nam hunc situm obtinuisse Antesterionem luculenter ostendit Magnus Scaliger contra Gazam. Consule, si placet, lib. 1. de Emend. temp. pag 29. 30 et 31. posterioris Editionis. mensis istius die 12 celebrabatur Baccho festum vetustius dictum ut testantur Thucydides lib. 2. et Demosthenes contra Neæram. festum istud omnino distinguit a Dionysiis proprie dictis Thrasyllus apud Diogenem Laertium in vita Platonis. ait enim Tragædos quatuor Dramatis certasse in Dionysiis, supple in agris, in Lenæis, ergo Lenea alia erant a Dionysiis prioribus quæ in agris fiebant, in Panathenæis et Chytris.) festum Lenæorum non solum dicebatur Διονύσια ἀρχαιότερα καὶ παλαιὰ τὰ Ληναῖα et Διονύσια ἐν λίμναις sed etiam Ἀνθεστήρια et ex hoc nomine vetustioris festi Bacchi mensis quo hæc solemnitas celebrabatur appellabatur Anthesterion. eodem Anthesterione, ut scribit Plutarchus Symposiacon lib. 3. problem. 7. Athenis XI die mensis primitias novi vini delibant, diemque illum a doliis reserandis Pithœgiam vocant, utque apparet antiquitus de vino antequam gustarent libantes vota faciebant, ut sibi usus medicamenti innoxius salutarisque foret apud nos (Bœotos) mensis Prostaterius dicitur, alias Hermæus (ut mox videbimus) sexta que ejus die statutum est, sacris bono genio factis gustare vinum post favonii flatum notatum, inquam, circa initium februarii a Ptolomæo lib. de appar. et significationibus ex observationibus veterum.

Plutarchi locus mox citatus illustrat hæc verba veteris scriptoris Philochori apud Athenæum Dipnosoph. lib. XI pag. 464 Edit. G. L. Athenienses τοῖς Διονυσιακοῖς ἀγῶσι ludis certaminibusque Bacchi primum cum jentassent et bibissent ad spectacula se conferebant coronisque redimiti spectabant, toto vero tempore quo agebantur ludi vinum ipsis miscebatur, afferebant bellaria, choris scenam ingredientibus vinum ad potum affundebatur, rursumque a scena discedentibus posteaquam certassent. Illustrantur etiam hæc verba alterius antiquissimi scriptoris Phanedemi apud laudatum Athenæum pag 465 haustum

e doliis Mustum ad templum bacchi quod est in Lymnis Deo miscuisse ἐκ
τῶν πίθων unde πιθοιγία ac propterea vocatum fuisse Bacchum Lym
naeum quum aqua Mixta tum primum temperatum Mustum biberent tes
Joannes Tzetzes licet ipse veterum temporis rationem Expers, tamen
ex Priscis Scriptoribus quos legerat multa Excerpens Lenaei seu Lenae
onis mensis nomen inde petit ὅτι τὰ πιθοίγια ἐν τούτῳ ἐγίνετο
eo quod Pithorgia in eo peragebantur et Expresse Ληναιος inquit
παρὰ Ἴωσι χαλεῖται Lenaeus Jonibus appellatur. ita scilicet
Tzetzes in Editione Trincavelliana. liberalia vetustiora seu
lenaea Atheniensia Celebrari solebant Smyrnae ἦρος ὥρᾳ πρώτῃ ut
diserte Memorat supra laudatus Aristides tum in Σμυρναϊκῷ πολι
τικῷ tum in προσφωνητικῷ hoc primo veris tempore teste eodem Aristide
Pompa fieri solebat triremis sacrae, de qua et Philostratus in vita Sophistae
Polemonis ubi etiam pompa eadem tribuitur Expresse Mensi Antheste
rioni. Pompa fertur, inquit Philostratus, Mense Anthesterione sublimis
triremis in forum, quam dirigit Bacchi Sacerdos, ut Gubernator (Navita)
Mensem Anthesterionem intelligit Philostratus verum lunarem Atheni
ensem non solarem. | locus mox Citatus ex prima Oratione sacra Aristidis
docet nos Lenaeonem solarem immediate Posidaeonem secutum esse, et id-
circo non Anthesterionem fuisse sed Gamelionem. ut autem Mensium attico
asianorum, seu Jonico Macedonicorum Diagramma recte proponere
possim, operae pretium facturus esse opinor, si hic laterculum Mensium
atticorum verorum et lunarium describam. | ipsum olim Exhibere ten
taverat Theodorus Gaza, sed vir alias Magnus et Eruditissimus sedes
Maemacterionis et Anthesterionis movit non recte. ordo hic est atticorum
Mensium juxta Gazam. | Haecatombaeon I.us juxta solstitium aestivum
Metagitnion 2. Boedromion 3. Maemacterion 4. Pyanephion 5. An
thesterion 6. Posidaeon 7. Gamelion 8. Elaphebolion 9. Munichion 10.
Targelion 11. Scirrophorion 12. | Errores Gazae docte refellit Scaliger
lib. 1. de Emend.e temp.um at Petavius aegre sibi persuasit adversarium suum
eo loci in nullo Caespitasse, Scaligerum quidem optime Contra Gazam
sedem pristinam restituisse Anthesterioni verum tempus nempe judi
cavit Petavius; at in Notis ad Epiphanium pag. 135 et sequentibus et
lib. 1 de Doctr. temp. Cap. 10 Scaligerum in assignando Maemacterionis
et Pyanepsionis ordine graviter peccasse acerbe Nimis Contendit. Peta
vius vir Doctissimus invalidis prorsus Armis conjecturis scilicet tentat

adversarium opprimere. Jam ex auctoritate Vetusti Marmoris Athenis reperti a Sponio et Whelero editi que in eorum itinerariis, ubi Diagramma Anni attici Sculptum proponitur. Constat Pyanepsionem proxime adhæsisse Boedromioni et Mæmacterionem subsecutum Pyanepsionem adhæsisse Posidæoni, unde optime Concludit Sponius in Nota ad Laudatum Marmor Petavium indiculum Scaligerianum Mensium Atticorum non recte sugillasse. hanc præstantissimam Epigraphen videre non potuit Petavius sed Ejus sententia funditus Convellitur a Demosthene orat. pro Coronâ. recitatur enim ibidem Decretum abiplomet Demosthene latum Archonte Mnesthæo ultima die Hecatombæonis seu Mensis primi Anni attici quo decreto Cautum erat, ut quinque Cives Athenienses inter quos Æschines erat legati a Concivibus suis electi, abirent nullam moram facientes in locum ubi audirent esse Philippum et Celerrime jusjurandum ab eo Exigerent darentque; quo Pax inter Regem Macedonum et populum Atheniensem Sancita Confirmaretur, Comprehensis etiam utriusque partis Sociis. addit ibidem Demosthenes hæc verba. parum curantes optimi legati isti resederunt in Macedoniâ per tres integros Menses τρεῖς ὅλους μῆνας usque dum reversus esset Philippus è Thraciâ, Cum jam Cuncta, id est omnes Civitates Socias Atheniensium subvertisset.

patet legatos Athenis proficisci non potuisse ante primum diem Metagitnionis sive secundi Mensis attici. tribus integris Mensibus resederunt in Macedonia, usque dum reversus esset e Thraciâ Philippus igitur Rex iste non est in Macedoniam reversus ante primos Mensis attici quinti dies. tunc enim tantum tres Menses Notati a demosthene integre Compleri potuerunt. addit Demosthenes Philippum postquam è Thracia reversus est, iterum Corrupisse legatos, ne abeuntes aliquid rescirent Athenienses de Expeditione quam Contra Phocenses parabat. Corruptis itaque Æschine et Sociis Philippus Pylas nullo negotio dum nihil simile Cogitarent athenienses occupat, et in Phocidem irrumpit oppida statim occupat et diripit, Cujus inexpectatæ Cladis cum Nuntium Athenienses Excepissent, perterriti tumultuario Colligere omnia quæ in agris habebant, et intra urbem asportare Coacti sunt. luce Meridiana Clarius est decretum de asportandis in urbem quæ in agris erant latum non fuisse nisi post medium Mensem quintum Anni Attici ante paucos dies hoc Mense quinto e Thracia in Macedoniam reverso Philippo, atqui decretum istud latum est, ut legitur apud Demosthenem oratione mox Citatâ pro Coronâ eodem Archonte Mnesthæo

31 Μαιμακτηριῶνος δεκάτη ἀπιόντος decima die ante finem Mæmacterionis. ergo Mæmacterion fuit anni attici non mensis 4us ut volunt Gaza et Petavius sed quintus, ut veteribus omnibus et post eos Scaligero placuit

Atheniensium Menses veteres fuisse lunares, sed populari modo et minime ad veros motus ~~Solares~~ Cœlestes exacto Certissimum est. at subactis Græcis a Romanis apud ipsos Anni Juliani forma sensim introducta fuit, imprimis apud Historicos quibus non incongruum videbatur adhibere Annum et Menses ubique notos nominibus tamen atticis appellatos. talis est Plutarchus qui licet aliquando utatur mensibus atticis lunaribus tamen sæpius adhibet annum Solarem et Menses mere julianos. in vita publicolæ scribit Idus Septembres seu 13 diem incidere circiter in Medium Mensem Metagitnionem συντυγχάνει περὶ τὴν πανσέληνον μάλιστα τοῦ Μεταγειτνιῶνος lib. de Iside et Osiride Confert Pyanepsionem cum Athyr Ægyptio Augustæo scilicet qui conveniebat fere cum Juliano Novembri. in vita Julii Cæsaris Confert Januarium omnino Cum Posidæone his verbis: ἱσταμένου τοῦ Ἰανουαρίου μηνός, οὗτος δ' ἂν εἴη Ποσειδεὼν Ἀθηναίοις. in vita Syllæ citat Plutarchus istius Celeberrimi Ducis Romani Commentarios in quibus legebatur ab ipso Captas fuisse Athenas Kal. Martiis ἥτις ἡμέρα συμπίπτει μάλιστα τῇ νουμηνίᾳ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός hic Expressis verbis Anthesterionem Cum Romano Mense Comparat. Metagitnionem ut supra probavi Contulit Plutarchus noster Cum Septembri. itaque Conferre debuit Hecatombæonem cum Augusto. cum igitur asserit in vita Alexandri hunc Principem natum esse die 4 Mensis Loi et Hecatombæonis Atheniensis ipsum non intellixisse puto Macedonum Europæorum sed Syro Macedonum Loum qui fere Conveniebat Cum Augusto Juliano.

Nec quis objiciat vetustiorum Romanorum anni formam fuisse a Juliana diversam. nam Plutarchus semper usu adhibet annum juxta formam Julianam, et quidem aliquot Annis ante Correctionem Cum Mensis Januarius longius distaret a Tropis, Cæsar ex Italia in Epirum transfretavit et Apolloniam Cœpit. attamen autor noster testatur in salum se dimisisse Cæsarem circa solstitium brumale ineunte januario. parem Errorem peccat Plutarchus circa Menses Ægyptios, nam licet veterum Ægyptiorum Menses ante Augustum in Anno Æquabili per singula Zodiaci signa intra Maximæ periodi Curriculum impune

Impune Vagaretur asserit pag. 366 Edit. francofort. tractatu de Osiride et Iside Osyridem Mense Athyr periisse quod Etesiis omnino deficientibus nilus recedit et solum Nudatur, idest autumno affecta et ad finem Vergente labente Octobri Juliano cujus Mensis die 28 incipit Athyr Alexandraeus seu Actiacus. sed Athyr priscorum Ægyptiorum cum perpetuo Vagaretur, non magis ad autumnum et hyemem quam ad Ver et Æstatem pertinebat. non attendit Certe Plutarchus ad Mensium Romanorum et Ægyptiorum Mutationem sub julio et Augusto Cæsaribus factam, sed hic nihil interest quod Plutarchus Erraverit. exponendum tantum nobis est quomodo Scriptor iste atticos Menses Julianis æquaverit appianus idem secutus est anni Romano-attici Diagramma, nam Asserit lib. 2. bellorum Civilium Julium Cæsarem mortuum esse idibus Martiis ἀνθεστηριῶνος μάλιστα μέσϐ. Medius igitur Anthesterion, idem erat ac idus Martiæ seu 15 Mensis. hujus Anni Diagramma hic proponere absre non erit.

I.us Posidæon Januarius. 2 Gamelion seu Lenæon februarius. 3. Anthesterion Martius. 4. Elaphebolion Aprilis. 5. Munichion Maius. 6. Targelion Junius. 7. Scirrophorion Julius. 8. hæcatombæon Augustus seu Lous Syromacedonum. 9. Metagitnion September. 10.us Boedromion October. 11. Pyanepsion November seu Atyr Alexandræus. 12. Mæmacterion December.

Aristides locis jam a me Citatis æquat Menses atticos seu Jonicos Macedonicis et Asianis hoc modo. I.us Mensis appellatus ab Ephesiis et Pergamenis Dius: a Smyrnæis Hyperberetæus attico nomine Boedromion. 2 appellæus ab Ephesiis et Pergamenis, a Smyrnæis vero Dius, attice Pyanepsion. 3 Audynæus vel appellæus attice Mæmacterion 4. Peritius vel Audynæus, attice Posidæon. 5. Dystrus vel Peritius, attice Gamelion vel Lenæon. 6 Xanthicus vel Dystrus, attice Anthesterion. 7. Arthemisius vel Xanthicus, attice Elaphebolion. 8 Dæsius vel Artemisius, attice Munichion. 9 Panæmus vel Dæsius, attice nomine Targelion. 10 Lous seu Panemus attice Scirrophorion. 11 Gorpiæus seu Lous attice Hecatombæon. 12. Hyperberetæus seu Gorpiæus, attice Metagitnion. dixi quidem Mensem sextum Asianum appellatum fuisse Lenæonem quia tunc fiebant festa Dionysia Majora et Vetustiora quæ Lenæa Vocabantur. nam Bacchus non solum Διόνυσος sed Ληναῖος dicitur. liberalia autem illa Celebrabantur ut supra demonstravi Ex Aristide ἦρος ὥρᾳ πρώτῃ primo Vere. Veris autem initium Mensi februario assignatur a Veteribus Ptolomæo

nempe de appar. ait enim Mechir 14 (februarii 8) Aegyptiis Eudoxo initium Veris (et 16 ejusdem Mechir Mensis (Caesari Metrodoro Veris initium 28 Mechir februarii 22 hirundini advenire tempus est. die 29 Mechir Aegyptiis Philippo et Calippo apparet hirundo geminus in temporibus signorum die 20 Piscium tempus est hirundinem apparere idem Calippo hirundo apparet et die 4 piscium Eudoxo apparet hirundo. Ptolomaeus lib. de inerrantium Stellarum significationibus ex versione Nicolai Leonici VII idus februarii Veris initium. ovidius diei V idus assignat primum Ver his Carminibus lib. 2. fastor.

Quintus (V idus) ab aequoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer, et primi tempora Veris erunt.

Mense pariter februario Ver incipere juxta Veterum sententias docet nos Beda lib. de ratione temporum Cap. 33. horum, inquit, principia temporum diversi ponunt diversi, Isidorus namque Hispaniensis Episcopus Hyemem 9 cal. Decemb. Ver 8. Kal Martias, aestatem 9 Kalend Junias. autumnum 9 cal. Septembres habere dixit Exortum | Graeci autem et Romani quorum in ejusmodi disciplinis potius quam Hispanorum auctoritas sequi consuevit hyemem 7. id. Nov. Ver 7. idus februarii aestatem 7. idus Maii. autumnum 7. idus Augusti inchoare decernunt hyemis videlicet et aestatis initia.

igitur Lenaeone seu Gamelione Solari qui fere conveniebat cum Juliano februario celebrabantur apud Smyrnenses liberalia majora ἦρος ὥρᾳ πρώτῃ et hujus festi gratia Mensis vocabatur Lenaeon. Nomen vero istud ita in usu fuit apud Jones, ut Proclus ad Hesiodum scripserit de eodem mense quod ἴωνες τοῦτον οὐδ' ἄλλως ἀλλὰ Ληναιῶνα καλοῦσιν. at Hesychius asserit Boeotos nullum mensem habuisse Lenaeonem appellatum juxta communem et popularem saltem usum nam Hesiodus, Ascraeus et Boeotus libro dierum et operum meminit mensis Lenaeonis hoc Carmine

μῆνα δὲ Ληναιῶνα κάκ' ἤματα βούδορα πάντα

~~idem Hesychius~~ Hesiodus appellat Lenaeonem Mensem in quo apud Contribules suos celebrabantur festa Bacchi seu Ληναῖα Confert Lenaeonem istum cum Bucatio Boeotio. Plutarchus ipse Boeotius referente Hesychio addit καὶ γὰρ ψυχρός ἐστιν quod non abludit ab his Hesiodi verbis. κάκ' ἤματα βούδορα πάντα idem Hesychius scribit quosdam velle Lenaeonem esse Hermaeum Boeotorum qui proxime adhaeret Bucatio καὶ γὰρ Ἀθηναῖοι τὴν τῶν Ληναίων ἑορτὴν ἐν αὐτῷ ἄγουσιν nam etiam in eodem festum

Lenæorum Celebrant Athenienses. |Hermæus iste Conveniebat cum lunari Anthesterione adhærebat enim proxime Bucatio. Bucatius incipiebat circa Solstitium Hiemale teste Plutarcho in vitâ Pelopidæ eundem plane situm obtinuisse Gamelionem Lunarem Atheniensium Certissimum est, ut locupletissime testatur Aristoteles lib. 1. Meteorologicorum Cap. 6. ubi enim Narrat Cometem apparuisse mense Gamelione Circa Solstitium hybernum. Ergo idem fuit Bucatius Bœotorum ac Gamelion Atheniensium. Hermæus vero ac Anthesterion qui Gamelionem immediate sequebatur, Anthesterion ille Lunaris et vagus incipiebat aliquando labente mense Januario Juliano et Majorem partem occupabat februarii id docet nos Ptolemæus lib. 7. Mag. Synt. Cap. 3. Timocharis, inquit, observavit Conjunctionem Lunæ cum Pleiadibus anno 47. primæ Periodi Calyppi τῇ η ανθεσηριῶνος. & Anthesterionis Athyr vagi 29 anno Nabonassari 465. hoc Contigit anno periodi Julianæ 4431. Januarii 29 feria 3. Cœperat itaque hoc Anno Anthesterion die 21 Januarii. dies vero 12 Anthesterionis ubi liberalia Celebrabantur incidebat in 2 februarii Juliani.

Mos iste ab Jonibus immutatus fuit, Cum Asiani annum Macedonum Solarem incipientem a 24 Septembris receperunt. tunc enim 4.us Mensis appellatus est Posidæon et 5.us cujus pars major incidebat in februarium dictus est Gamelion et Lenæon eo quod Lenæa tunc temporis ἦρος ὥρᾳ πρώῃ Celebrari necesse erat. hac ratione quintum Mensem asianum cui Peritius Macedonicum Nomen erat, nominat Lenæonem Aristides.

Condita Constantinopoli et indictionum usu imperante Constantino recepto, plerique Orientales non solum annos Solares et julianos receperunt, sed etiam More Constantinopolitano annum inchoarunt a primâ die Septembris quæ Novæ indictionis initium erat. Athenienses Gentilibus Sacris Explosis veterem Anni Attici formam et Lunares Menses Sacrificiis profanis dicatos rejecerunt, primumque suum Mensem Hæcatombæonem Scilicet a primâ die Septembris Auspicati sunt. hujus anni attici Diagramma nobis proponitur in veteri Collectione Mensium Antiquorum edita ab Henrico Stephano tomo 4. Thesauri pag. 223 ὀνόματα μηνῶν κατὰ Αθηναίους Εκατομβαιὼν ὁ καὶ Κρόνιος, ὁ Σεπτέμβριος; μεταγειτνιῶν ὁ Οκτώβριος. Πυανεψιὼν ὁ Δεκέμβριος. Μαιμακτηριὼν ὁ Ιανουάριος. Ανθεστηριὼν ὁ Μάρτιος. Γαμηλιὼν ὁ φεβρουάριος. Ληναιὼν ὁ καὶ Ποσειδεὼν ὁ Μάιος. Μουνυχιὼν ὁ Ιούνιος. Θαργηλιὼν ὁ Απρίλλιος. ελαφηβολιὼν ὁ Μαῖος. Μουνυχιὼν ὁ Ιούνιος. Θαργηλιὼν ὁ Ιούλιος. Σκιρροφοριὼν ὁ Αυγουστος. |hoc in Diagrammate

33 Nota Hecatombæonem appellari etiam Κρόνιον seu Saturnium. sic enim olim vocabatur Mensis atticus primus, ut testis est, Plutarchus in vita Thesei. Nota etiam Posidæonem novum illum seu februarium vocari Lenæonem, quia Mensis februarius Lenæis seu Bacchi festo solemniori dicatus fuerat. hanc attici anni formam receptam fuisse labente sæculo 4 docet nos Epiphanius hæresi 50.a quæ est Alogorum tradit enim Dominum Nostrum Jesum Christum natum esse Mense Januario κατὰ δὲ Ἀθηναίους μαιμακτηριῶνος ς 6.ae Mæmacterionis, et sæculo sequenti eandem Anni formam admissam fuisse ab atheniensibus. | Macrobius qui sub Juniori Theodosio vixit testatur saturnalium lib. 1. Cap. 12. de Mense Aprili disserens ait: Cincio etiam Varro consentit affirmans nomen veneris ne sub Regibus quidem apud Romanos vel Græcum vel Latinum fuisse, et ideo non potuisse Mensem a venere Nominari, sed cum fere ante æquinoctium vernum triste sit Cœlum et nubibus obductum, sed et mare Navigantibus Clausum, terræ autem ipsæ aut aquâ aut pruinâ aut Nivibus contegantur, eaque omnia verno, id est hoc Mense aperiantur, arboresque quoque nec Minus Cætera quæ Continet terra aperire se in Germen incipiant, ab his omnibus mensem Aprilem dici merito Credendum est, quasi Aperilem, sicut apud athenienses ἀνθεστηριὼν idem Mensis vocatur, ab eo quod Cuncta hoc tempore florescant. cum apud athenienses ævo Macrobii Anthesterio Romano æquaretur Aprili liquet Hecatombæonem seu primum mensem a Kal. Septembribus incœpisse.

Alii autem ut quamplurimis Orientalium Mos erat annum ab Octobri Auspicati attici etiam Anni initium Calendis Octobribus adsignabant. Narrat enim Epiphanius hæresi 51. juxta nonnullorum sententiam Christum Baptizatum fuisse Mense Novembri seu attico Metagitnione. iste Athenis secundus erat Mensis. 1.us idcirco sive Hecatombæon juxta hancce anni formam Octobri æquiparandus erat. | hoc vidit Petavius in notis ad Epiphanium, sed non recte concludit vir Eruditissimus Mæmacterionem fuisse 4. mensem anni Attici, quia ipsum Januario æquat idem Epiphanius. nam scriptorem istum de iisdem diversa prorsus tradere consuevisse prout varios auctores Exscribit Certissimum est.

Pari modo Ulpianus Demosthenis interpres tres inter se diversas admittit anni Attici cum Juliano Comparati formas. nam in orat. pro Coronâ ubi Orator dicit: μέχρι τοῦ Ταργελιῶνος μηνὸς Ulpianus

Exponit Ἀπριλίου et sic Hecatombæonem Comparat Cum Mense junio in quem incidit Solstitium æstivum quod fuit prisci anni attici Caput. item Μουνυχιῶνος ἕνη καὶ νέα interpretatur Ἰανουαρίου τριακοστῇ etiam Comparat Hecatombæonem Cum Aprili seu Xanthico Syro Macedonum quo tempore nonnulli, ut auctor Constitutionum Apostolicarum annum exordiuntur. demum Μηνὸς ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη φθίνοντος Ulpianus Exponit Septembris εἰκοσι τετάρτη Hecatombæonem Equans Januario Hæc forma ultima introducta fuit anno Juliano aut incarnationis Dominicæ incipiente a Natali Domini vel a Kalendis Januariis etiam usu recepto a plerisque Græcis et aliis Orientalibus annum atticum et Hecatombæonem a Kalendis Januariis parimodo auspicati sunt; quem morem recipit insignis historicus Pachymeres cum alias, tum 3 lib. histor. Andronici Cap. 12. hæc gesta sunt, inquit, Mense Scirrophorione circa Natalitias Christi ferias (25 Decembr. et seqq. dies) primâ vero die Hecatombæonis (Januarii) Legati qui Missi fuerant pervenerunt (Constantinopolim) Græci itaque hodie duplicem Æram et duplicem Anni formam admittunt primam ab orbe Condito Exordium Sumentem a Kalendis Septembribus, alteram ab incarnatione seu potius Nativitate Domini incipientem a Kalendis Januarii, quod Sæculo præterito usitatum erat. nam Theodorus Zygalas Protonotarius Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ et Joannes Zygomalas Rhetor Patriarchicus una et eadem die 15 Scilicet Novembris duas Scripserunt Epistolas ad Mart. Crusium. Joannis Epistola data est anno τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας ͵αφοε 1575 Theodori ad Eundem Crusium data est anno 7084 ἀπὸ τῆς κτίσεως qui annus Cœpit Calendis Septembribus anni 1575 die postera proxime sequenti Patriarcha Constantin. Hieremias Scripsit ad Professores Tubingenses litteras datas 16 Novembris anno 1575. Ergo licet Græci jam incœpissent annum Mundi 7084 a Kal. Septembr. non auspicaturi tamen erant annum incarnationis nisi tantum a Kal. Januar. nec inchoatus fuerat annus Currens 1575 nisi Kal. januar. Vide has litteras pag. 427 Turcograeciæ. Varias vidisti anni attici Solaris formas, postquam priscus annus Lunaris Antiquatus fuit, quod Contigit, ut jam innuimus recepta religione Christianâ et Sacris gentilium interdictis, quæ Mensibus illis Vetustis fieri debebant. licet autem Variæ fuerint Solaris Anni formæ, ut Supra demonstravimus, mensis tamen Solus qui æqui parabatur februario Romano Lenæonis appellationem Sortitus est. nam tunc temporis notissima illa Festa Bacchi celebrata

fuerunt πρὸς ὥρα ποώη. scio legi hodie apud Stephanum de urbibus Ληναῖον esse agonem Bacchi ἐν ἀγροῖς ibidem que citari Apollodorum in chronicis. at Stephani genuinum opus nos non habemus, sed ejus dem compendium magno litterarum dispendio nobis substitutum. quid quod hac in Epitome mendosa occurrunt permulta quae Stephano ipsi attribuere nolunt Eruditi. hujus farinae esse has voculas ἐν ἀγροῖς dubium non est. festa Bacchi ἐν ἀγροῖς fiebant mense Posideone quae Dyonisia proprie appellabantur. ordinabantur quidem ab Archonte. Lenaea vero a Rege sacrorum, ut scribit Pollux lib. 8. tributa socios Athenas ex sancito portare consuevisse circa Dionysia quae in agris agebantur testatur vetustissimus Comaedarum auctor Eupolis in urbibus Comaedia citata a scholiaste Aristophanis in scholiis ad Acharnenses. ipse Aristophanes in eadem comaedia docet nos socios Athenis non adfuisse Lenaeis et tunc in urbem non venisse. nam sic loquitur Dicaeopolis Atheniensis Dramatis secundi scena 4. initio. neque enim me jam calumniabitur Cleon (de quo vide Thucydid. lib. 3 et 4) quod peregrinis praesentibus male ego loquar de civitate ἀὐτοὶ γάρ ἐσμεν. nam ipsissimi sumus cives. οὑπὶ Ληναίῳ τ᾽ἀγὼν agon agitur super Lenaeo. nulli adsunt peregrini, neque tributa veniunt, neque socii huc ex urbibus. sed nos sumus (Athenienses) purgati (ab exteris). igitur Lenaea in urbe non in agris celebrabantur, teste Aristophane. idem asserit Diodor. Sicul. lib. 15 his verbis. cum Dyonysius (Tyrannus) edidisset in Theatro Athenis in Lenaeis Tragaediam de didaxws Ἀθήνησι Ληναίοις τραγῳδίαν et victor evasisset quidam cantoris in choro munere functus ~~est~~ e vestigio Tyranno nuntium pertert. Ληναῖον, inquit Hesychius agon est seu locus ludi in urbe ἐν ἄστει ambitum habens magnum. ibidem situm est templum Bacchi in quo peragebantur agones Atheniensium antequam Theatrum aedificaretur et quidem 12 Anthesterionis πρὸς ὥρα ποώη

hic tamen monitum velim, lector, non eandem semper anni tempestatem nomine veris et aestatis intelligi apud veteres. nam annus bifariam dividebatur in aestatem et hyemem apud plerosque, quorum unum testem hic adducere sufficiet Thucydidem lib. 2. initio. ait enim a se scripta esse quaecumque contigerunt quotannis κατὰ θέρος καὶ χειμῶνα aestate atque hyeme. harum duarum partium duo fere termini erant aequinoctia vernum et autumnale. prima pars aestatis vocabatur ver, ut videtur apud laudatum Thucydidem lib. 4. p. 328 Λακεδαιμόνιοι

καὶ Ἀθηναῖοι ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐκεχειρίαν ἐποιή-
σαντο ἐνιαύσιον ineunte autem statim vere sequentis æstatis &c.
idem initio lib. 2. Narrat Thebanos Noctu irrupisse in oppidum Platæ-
ense ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ ineunte vere Archonte Athenis Pythodoro
quamduo præterea illi Menses superessent fungendi Magistratus. Thebani
igitur Mense Aprili ingressi sunt Platæam. nam Novi Archontes Magis-
tratum suscipiebant ineunte Hecatombæone circa Tropas æstivas. idem
Thucydides postquam dixit lib. 4. annuas inducias pepigisse Lacedæmonios
et athenienses ἅμα ἦρι addit pag. 330 Decretum populi Atheniensis
de induciis recitatum fuisse mense Elaphebolionis die 14. demum
lib. 5. pag. 337 postquam fœdus pacis inter Lacedæmonios et Athenienses
retulit, sancitæ quidem Artemisii Mensis (Lacedæmoniorum) τετάρτῃ
φθίνοντος et Elaphebolionis sexto ante finem die ἕκτῃ φθίνοντος
et addit hæc peracta fuisse τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι lib. 4.
ait solem defecisse anno 8 belli Peloponnes. circa Novilunium ineunte
æstate τοῦ δὲ ἐπιγιγνομένου θέρους. defecit autem Sol hoc anno
Martii Juliani proleptici die 20 hora 7. minut. 34 post Mediam Noctem
ut demonstravit Petavius lib. 8. de Doctrina temporum pag 793 et lib.
10. cap. 27. igitur eo loci Thucydides auspicatur æstatem ab æquinoctio
diversum Vernum tempus cum quidam non observassent Elaphebolionem
ad finem Januarii et initium primi Veris retrahere conati sunt. perperam
sane nec ab eis intellectus est Aristoteles lib. 6. hist. Anim. cap. 30 ubi ait
ursum coire Mense Elaphebolione, ferre vero uterum dies 30 et post-
quam prolem enutrierit exire tertio mense (inchoato scilicet a partu)
τρίτῳ μηνὶ ἐκφαίνουσιν ἤδη τοῦ ἔαρος tertio jam Mense Veris apparente
Extendit igitur Aristoteles usque ad Mensem junium Vernam tempesta-
tem quæ primæ pars æstatis erat, et alia prorsus ab ea quæ incipie-
bat a Nonis aut idibus Februarii. nam Veris tertiam partem hyemis occupat
ut docet nos Ovidius his Carminibus lib. 2. fast.

Quintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
Lucifer et primi tempora Veris erunt.
ne fallare tamen restant tibi frigora restant
Magnaque discedens signa relinquet Hyems.

at in Anterius longius Cæteris protrudit finem Hyemis et initium Veris
Kalendarii Vetustissimi frustum apud Gruterum pag. 138. ubi enim

legitur: Æstas ex XI. Kal. Maj in X Kal. Aug. dies 94. et infra Hyems ex 10 Kal. Nov. in XIII Kal. febr. huic anni tempestatum ordini attendebat Galenus, cum scripsit lib. 1. de antidotis τῷ Διονύσῳ βακχεύοντας Bacchanalia agentes consuevisse discerpere Viperas παυομένου μὲν τοῦ ἦρος labente vere. οὔπω δ' ἠργμένου θέρους æstate nondum incæpta. nam hic loquitur Galenus de postremis liberalibus quæ agebantur mense Elaphebolione circa finem Martii cui tempori æstatis initium assignat Thucydides loco supra laudato




De æris Duabus ab Alexandro

Prima æra ab obitu Alexandri Astronomos Ægyptios auctores habuit. hujus æræ annus primus initium nonduxit ex die vero emortuali alexandri, sed a neomenia Thot anni Ægyptiaci in quo obiit Alexander. ut a Nostris, inquit Censorinus lib. de die Natali Cap. 21 ita ab Ægyptiis quidam anni in litteras relati sunt, ut quos Nabonassarum Nominant, quod a primo Imperii hujus anno Consurgunt, quorum hic (Coss Ulpio et Pontiano) DCCCCLXXXVI. item Philyppi qui ab excessu Alexandri Magni numerantur et ad huncusque perducti annos DLXII Consummant. Sed horum initia semper a prima die mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est Thot, qui que hoc anno fuit ante VII Kal. Julias cum abhinc annos Centum Imperatore Antonino Pio secundo et Brutio Præsente Coss iidem dies fuerint ante diem XII Kal. Aug. quo tempore solet Canicula in Ægypto Exortum facere. | Anno primo hujus æræ Neomenia Thot Contigit die 12 Novembris a quo Abbategnius, Alfraganus et alii Arabes hujus æræ initium sumunt, cujus annos omnes solares fixos reputant. Petavius et alii Chronologi arbitrantur Thoth anni primi Philyppi Excessum Alexandri subsecutum esse, et idcirco statuunt Alexandrum obiisse anno Periodi Julianæ 4390 a quo auspicantur omnes æram Philyppi. | Sed Usserius in Annalibus asserit Ægyptios Astronomos facilioris Calculi gratia ad annos suos vagos a se institutam æram accommodantes Caput ejus in Thoth Ægyptiacum Collocasse mense ante verum Excessus Alexandri Magni tempus et ideirco Alexander juxta sententiam Usserii non obiit anno Periodi Julianæ 4390 sed sequenti. | hanc posteriorem sententiam veram esse non ambigo. nam ut scribit Josephus lib. 1. Cont. Apion. omnes fatentur Alexandrum mortuum esse Olympiade 114 | Euseb. lib. 8. de Demonstratione Evangelica scribit id Contigisse quidem ἐν ὀγδ. ἔτ. Ὀλυμπιάδος 114 initio olympiadis id est anno primo Currente. | Scio quidem Hieronymum in Daniel ubi Exscribit Eusebium legere Olympiade 113. sed vel Error irrepsit in Codicem Hieronymi, vel Hieronymus Codice Mendoso Eusebii usus est. | Arrianus sub finem lib. 7. asserit decessisse Alexandrum olympiade 114 Archonte Athenis Hegesia. | Diod. Sic. sub finem lib. 17 sub eodem Archonte obiisse Alexandrum testatur et præterea Narrat lib. 18. in ludis ejus Olympicis per præconem lectas fuisse



litteras Alexandri qui adhuc tunc in vivis erat, quibus litteris Exules om nes Graeciæ suis Civitatibus restitui jubebat. plerique igitur (inquit Diod. p. 593) reductionem Exulum ut bono Studio Susceptam approbabant. Ætoli vero et Athenienses Offensi hacre Moleste ferebant ... quia vero inferiores alexandro viribus essent, armis in præsens supersedendum rati &c. Justinus ex Trog. Pomp. lib. 13. c. 5. Expressis magis verbis Petavium Consultat. Causæ belli erant, inquit, quod reversus ab India Alexander Epistolas in Græciam Scripserat, quibus omnium Civitatum Exules præter Cædis Damnatos restituebantur, quæ recitatæ præsente universa Græcia in Mercatu Olympico (primis Augusti diebus Anno 4390) magnos motus fecerunt. palam igitur jam tunc multæ Civitates libertatem ferro vindicandam fremebant, Principes tamen omnium Athenienses et Ætoli fuere; quod Cum Nuntiatum Alexandro esset, mille Naves longas Sociis imperari præceperat, quibus in Occidente bellum gereret, Excursurus que Cum valida Manu fuerat ad Athenes delendas. Si alexander adhuc Superstes rescivit Babylone quod Græciæ Civitates et Athe nienses imprimis Contra eum Moliebantur post agonem Olympicum, et jam decreverat Athenas funditus Eruendas, hoc decernere non potuit ante mensem Septembrem et Æquinoctium Autumnale. nondum igitur e vivis Excesserat hoc tempore Anno primo Currente Olymp. 114. sed Alexander de cessit, ut testantur Diaria regia apud Plutarchum, et Aristobulus Coævus et oculatus testis apud Arrianum lib. 7 Sub finem Mensis Dæsii Macedonici, vel Targelionis Attici die 6. ut Scribit Ælianus lib. 2. Histor. varia. c. 25. qui Menses Atticus et Macedonicus Antecedunt Solstitium. quæ cum ita sint, manifestum est Alexandrum Mortuum esse anno primo labente Olympiadis 114. qui incidit in annum 4391 Periodi Julianæ. urbis Romæ 431 Nabonassari vero 425 et Philippi Imi utrumque Currentem usque ad diem 12 Nov. Juliani proleptici. unde liquet Æram Philippi Sive ab Obitu Alexandri M. initium Astronomos Alexandrinos Auspicatos esse Mense 7. ante verum tempus Excessus Alexandri.

Quis nam sit Philippus iste qui æræ huic nomen dedit, an Pater Alexandri M. an frater Ejus Arridæus Cognominatus olim a Multis disputatum est. Scalig. l. 2. de Emend. temp. p. 83 et l. 5. p. 413 Confidenter Asseveravit hunc Philippum non fuisse fratrem sed Patrem Alexandri. sed in hunc Errorem non incidisset si vidisset Theonis fragmentum in Ptolemaicos seu potius juxta Ptolomæi Methodum Expeditos Canones Astronomiæ Editum a Dodwello p. 29 appendicis ad Dissertationes Cyprianicas, quod opus cultum licet ipsi Ptolomæo non recte tribuatur in Annalibus ab Usserio, summæ tamen est Auctoritatis. itaque Theo asserit præfatione seu Prolegomenis ad filium Epiphanium se initium laudatorum Canonum arcessere a primo illius Philippi



anno qui Alexandro Conditori (urbis Alexandriæ) successit τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην et quidem juxta Ægyptios quorum Annus dies duntaxat 365 Complectitur a Thoth Novilunii Meridie absoluta hora 6. inchoata 7. pro Climate Nostræ Ægyptiacæ Alexandriæ. hoc autem testimonio nihil ex pressius afferri posset. Notandum solum operæ pretium duxi Ptolomæo optime Convenire Cum Censorino et Theone. frustra igitur sunt, qui Canones Regnorum Ptolemæi ad Exactæ et severioris Chronologiæ regulas revocare tentant. nam, ut Monet insignis Mathematicus Mullerius p. 88 tabularum fristicarum omnes (Epochæ Regum) a Neomenia primi Mensis Thoth incipiunt, ita Exigente Calculo Astronomico, et a regibus qui circa id temporis regnare Cæperunt denominantur. quod Monendum fuit, ne quis per Imperitiam hos reges omnes principio Anni Ægyptiaci imperii habenas suscepisse Existimet, quod peccatum peccarunt nonnulli viri Eruditi.

Altera æra Alexandri Originem traxit a Seleuco Nicatore qui novam in Asiâ post Alexandrum Monarchiam Condidit anno Per. Jul. 4402 ante Christum 312 ab Urbe Condita 442 Cum Seleucus, inquit Eusebius l. 8. de Demonst. Evang. Babylonem Cepisset, Asiæ sibi Diadema Circumdedit anno post Alexandri mortem XII Currente scilicet a fine Mensis Dæsii seu a Maio Juliano et in Chronico ad Annum primum Olympiadis 117. Abrahami vero 1705 Regnum Syriæ et Babylonis et superiorum locorum nascitur. | Joseph. lib. 3. cap. 11. ait Judæos Simonis Machabæi opera Macedonum jugo Excusso libertatem indeptos anno 170 Ex quo Seleucus Nicator Regnum Syriæ obtinuit. utrobique apud Joseph. et Euseb. Cave ne intelligas Syriam superiorem, inter Euphratem, Taurum Montem, Mare Mediterraneum et Cœlesyriam sitam, sed Nomen Syriæ hic latissime sumitur, ut apud Multos e Veteribus non raro fit qui uno Syrorum Vocabulo Syros Phœnices, Palæstinos, Mesopotamios, Babylonios et transtigritanos Assyrios Vastissimarum Regionum incolas Complectuntur. inter quos Herodotus in Polyhimnia p. 407. isti a Græcis, inquit, Syri Vocabantur, seda barbaris Assyrii sunt Vocati inter quos Chaldæi sunt. | Strabo l. 16. qui de Syrorum Imperio scribunt, Cum Medos a Persis Eversos dicunt, Syros autem a Medis, nullos alios Syros intelligunt quam qui Babylonem ac Ninum Caput Regni Effecerunt. | Hieron. Comm. in Cap. 19 Esaiæ: Doctus lector Veteres revolvat historias, et ab Euphrate usque ad Tigrim omnem in Medio Regionem Assyriorum fuisse Cognoscet. ergo quos Veteres Assyrios nunc nos Vocamus Syros a parte totum appellantes. omnes istæ regiones appellantur in sacris bibl. fontibus ארם Aram uno Nomine, quod Veteres interpretes Græci semper Græce Vertunt Syriam et Σύρους. ipsi Syri appellant se Aramæos. Chaldæos etiam lingua patria allocutos esse Nabuchodonozorem Aramith, Aramæe, id est Syriace, ut Græca et Vulgata Versio interpretantur tradit

Daniel Cap. 2. | Erraverunt igitur qui scripserunt Æram Alexandri seu Seleucidarum cepisse cum Seleuci Nicatoris principatu in Cis Euphratense Syria anno 4402. nam tunc Antigonus cum prævalido exercitu in Syriam descendens Ptolemæum Cœlesyria et Phœnicia exactum intra Ægypti fines coegit. | Antigono vero a fœderatis Principibus Macedonum victo, regnoque et vita privato anno 4 Olymp. 119 ante Christi Ætatem 301 currente, anno Seleuci etiam currente XI. postquam novum Imperium in superioribus Asiæ Satrapiis fundasset, Syriam Cis Euphratensem princeps iste obtinuit.

Æram istam ab Autumno incepisse a multis Scriptoribus luculente probatum est. Novam autem et ab Alexandro inventam Macedonicorum Mensium dispositionem servari voluit Seleucus. itaque hujus Æræ inchoatæ ab Æquinoctio Autumnali Mensis primus non Dius sed Hyperberetæus fuit ut jam probavi. licet autem hæc Æra Seleucum Auctorem habuerit, Alexandri M. nomine fuit insignita, eoquod Alexander Imperii Græcorum in Asia verus Conditor fuerit. | ab Arabibus dicitur Æra Dzilcarnaim bicornis i.e. Alexandri qui hanc sortitus est appellationem, nonquod Orientis et Occidentis victor fuerit, nam hoc verum non est, sed quod cornuta ejus effigies in nummis extaret. idque his disertis verbis docet nos Clem. Alex. in protreptico Voluit quidem Alexander Hammonis filius existimari, et Cornigera statuariis effingi, pulchritudinem hominis fœdare incitans cornibus. ab Alexandro igitur bicorni æra quæ Græcorum seu imperii Græcorum in Machabaicis dicitur appellationem sortita est, ita ut Patres Concilii Nicæni annum 636 Seleucidarum appellent ἔτους ἀπὸ Ἀλεξάνδρου in Expositione fidei recitata ex libro ab Eunomio Episcopo Nicomediensi actione 2. Conc. chalced. vide pag 340. to. 4. Conc. gener. Labb. has duas Æras ab Alexandro et a morte alexandri seu a Philippo quidam imperite confuderunt unde non nemo ausus est integris duodecim Annis mortem Alexandri differre | istum abunde refutavit Petavius lib. 10. de Doct. temp. cap. 40. hanc æram plerique Orientalium admiserunt, et apud eos ejusdem memoria non prorsus hodie oblitterata est. Solarem hunc Annum fuisse dierum nempe 365 cum quadrante asserit Doctissimus Princeps Vlugbeig Tamerlani Magni Nepos, aureo libello de Epochis, cui fidem immerito denegat Norisius dissert. 2. Cap. 1. p. 61. nam quid huic Scriptori opponat non habet Celeberrimus Criticus.

Judæi tamen hanc Æram suis moribus accommodarunt, annique caput plerique collocarunt in initio Anni sui sacri et Mensis Nisan quem Xanthicum appellarunt, eoquod Xanthicus Syro Macedonum incepérit a die æquinoctii civilis. Nisan vero a Neomenia propinquiori Æquinoctio verno. alii non solum Syro Macedonas imitati, sed rationem habentes anni civilis Judaici prisci inchoarunt Æram Græcorum a Neomenia Tisri quem

Macedonico Vocabulo appellarunt Hyperberetæum, Eratque Mensis iste propinquior Autumnali Æquinoctio, Caput autem Anni Sabbatici, unde absolute Tisri Neomenia dicitur Hebraice Rosch hascHana Caput anni. hujus duplicis Anni Meminit Josephus Antiq. lib. 1. Cap. 4. Narrat enim diluvium Contigisse Mense 2. Dio a Macedonibus Dicto et Marsovane ab Hebræis, qui nempe 2us est a Tysri. Moyses vero Nisan seu Xanthicon πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν addit οὗτος δ' αὐτῷ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς εἰς τὸ θεῖον τιμὰς ἦρχεν. ἐπὶ μέν τοι γε ὠνὰς καὶ πράσεις, καὶ τὴν ἄλλην διοίκησιν τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε τὴν δ' ἐπομβρίαν ἄρξασθαι φησὶν ἑβδόμῃ τοῦ προκειμένου μηνὸς καὶ εἰκάδι χρόνος ἦν οὗτος ἀπὸ Ἀδάμου τοῦ πρώτου γεγονότος ἐτῶν ὑπῆρχε δισχιλίων (Emenda χιλίων) ἑξακοσίων πεντήκοντα ἕξ. hic Josephus priscum Annum ante Moysen incepisse a Tisri et ab Autumno liquido Asseverat, eundemque Mensem semper fuisse Caput anni Civilis sive Contractuum Emptionum Venditionum. Cum autem numerat ab Adami Creatione ad diluvium tempora non obscure innuit Adamum Creatum fuisse initio Tisri Mensis. idem scriptor probat Contra Apionem Autoritate Alexandri Polyhistoris Antiquissima tempora ita descripta fuisse ut ab Autumno Anni inchoarentur, et horum Annorum rationem Abrahamum Patriarcham ab Enocho Patriarcha per Manus traditam Ex Chaldæa attulisse et Ægyptios docuisse. idem ex eodem Polyhistore asserit Eusebius lib. 9 de præpar. Evang. Eusebius initio Chronici profitetur se tempora putare a Creatione Adami prioris Edit. p. 6. Ex his duobus, inquit, omnis hominum multitudo procreata est, unde etiam nos dinumerationem temporum facientes incipimus. Sed Autumno post æquinoctium Creatum Adamum Arbitrabatur Eusebius cum vulgo Orientalium. annos siquidem incipit a prima die 8^{bris} seu Tisri Solaris et Juliani. nam Mensibus Solaribus Julianis utitur. Hieronymus Continuator et interpres Eusebii auctori suo adhæret. et præterea Annum veterem Orientalium inchoatum fuisse ab Octobri diserte scribit. illud intelligitur, inquit Comm. in C. 1. Ezech. quod in 30 Ætatis suæ Anno Dominus ad Baptisma venerit in 4 mense qui apud Nos (Romanos) vocatur Januarius, et est in anni (Juliani) primus Exordio præter Nisan Mensem Novorum (Mensem primum sacrum juxta Christianos et Judæos) apud Orientales enim populos post Collectionem frugum et Torcularia, quando Decimæ deferebantur in templo 8^{ber} erat primus mensis et Januarius quartus. quintam autem Mensis diem adjungit, ut significet baptisma quo Aperti sunt Christo Cœli, et Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est, non, ut quidam putant, Natalis in Carne, tunc enim absconditus est et non apparuit, quod huic tempori Congruit, quando dictum est: hic est filius meus dilectus in quo Complacui. hæc duo anni apud

Judæos Capita in Causa fuere quod Auctores primi et Secundi Machabæorum
libri usi sint æra et Annis Græcorum Seu Seleucidarum diverso initio. primi
enim libri Scriptor a Mense Nisan altera Tisri Annum auspicatur. hujus
duplicis initii beneficio optime Conciliantur quæ in Ambobus libris inter se
pugnantia Videntur. imo intelligi potest nota illa temporis apposita litteris
Antiochi Eupatoris recitatis lib. II Cap. XI. quæ Eruditis Crucem fixit hactenus.|
Usserius quidem in Annalibus asserit litteras illas Scriptas anno 148 æræ
Chaldæorum ac die 15 itidem Xanthici Chaldaici. Sed falsum est Reges Se
leucidas in Signandis rescriptis usos fuisse æra Chaldaica quæ a Syris nun
quam in usum redacta fuit, ut omnia plana fieri possint res altius repelendæ
sunt.| Ex Lib. I. Cap. 3. v. 32 et Seqq. Antiochus Epiphanes ad 147 reliquit
Lysiam hominem Nobilem de genere Regali Super Negotia regia a flumine
Euphrate usque ad flumen Ægypti, et ut Nutriret Antiochum filium Suum
et Mandavit ei ut Mitteret Exercitum ad Extirpandam Virtutem Israel, et
Exivit ab Antiochia anno 147. et transfretavit Euphratem flumen et per
ambulabat Superiores regiones et Elegit Lysias Ptolemæum Nicanorem et
Gorgiam. misit cum eis 40000 Virorum et 7000 Equitum in terram Juda
qui omnes Vincuntur a Judæis Cap. 4.

Eod. Cap. v. 28. An. 148 Sequenti anno 148 Scilicet a Nisan incipiente
Congregavit Lysias Virorum Electorum 60000 et Equitum 5000, ut debellaret
eos et Venerunt in Judæam.

Cap. 4. lib. 1. v. 34 et 35 et Commiserunt prælium et Ceciderunt de Exer-
citu Lysiæ 5000 Virorum. Videns autem Lysias fugam Suorum et Audaciam
Judæorum abiit Antiochiam et Elegit Milites, ut Multiplicati rursus Venirent
in Judæam Contra Judæos| Secundam Expeditionem a Lysia Susceptam hoc anno
non Memorat autor 1.i Sed Secundi libri tantum. ait itaque Cap. XI Lysiam Procu
ratorem Regis Antiochi Epiphanis absentis Congregatis 80000 et Equitatu universo
Venisse in Judæam, incunte Scilicet anno 148. a Tisri et oppugnasse Bethsuram
Sed Judæos in hostes irruentes prostravisse Ex iis 11000 peditum et Equitum 1600
addit: Sed et Lysias turpiter fugiens Evasit, et quia non insensatus erat, promisit
Judæis Se Consensurum omnibus quæ justa sunt, et Regem Epiphanem qui adhuc
in Vivis erat Compulsurum Amicum fieri. nam erant Scriptæ Judæis Epistolæ
a Lysia quidem hunc in Modum Continentes: Lysias Populo Judæorum Salutem
bene Valete anno 148 Mensis Dioscori μηνὸς Διὸς Κορινθίου in Codice
Græco die 24. Mensem illum fuisse Embolymæum Macedonum olim Con
jecerat Scaliger, Sed jejunam et inanem divinationem rejecerunt Eruditi.|
Pari modo erravit Badwellus hunc locum Explanans Διὸς Κορινθίου Jovis
Corinthii Vicesima quarta. ita enim, inquit, illius Nomine Græci tunc
notabant Annorum et Mensium tempora. Sed quisnam Badwellum docuit
Græcos et quidem Syros nomine Jovis Corinthii Mensem aliquem appellasse.|
rem acu tetigit Clarissimus Grotius in Annotatis ad locum Superius laudatum

legit Vulgatus Διοσκόρε, inquit Grotius, pro eo quod Græci Codices habent Διὸς Κορινθίε Mendose haud dubie. Ego Scriptum fuisse puto ΔΙΕ quod Scribæ supplevere pro abbreviato ΔΙΕ et explicave runt Διοσκόρε vel Διὸς Κορινθίε. Dius Notissimus est Mensis Macedonum. hucusque Grotius. Ejus Emendationem Valide firmat Vetus interpres Syrus. Notam enim Chronologicam sic exponit Anno Centesimo quadragesimo octavo Vigesimo quarto Tisri posterioris i.e. Dii. sic enim Syriace Vocatur Mensis iste Syro Macedonicus. Scripsit itaque Lysias ad Judæos anno Periodi Julianæ 4449 4.R. 489 quarto Olympiadis 153. die circiter 16 Novembris Juliani. nec obstat quod Autor libri 2. Machabæorum post Narratam Mortem Epiphanis Expeditionem Lysiæ refert et Ejus ad Judæos Epistolam recitat. nam Scriptor iste Nequaquam ordinem rerum gestarum servat, temporum que rationem ullam habet, quod etiam Scriptoribus Sacris plerisque familiare esse apud Doctores Sacrorum Bibliorum interpretes in Confesso est.

Fugato Lysiâ et pacis spe jam judæis affulgente, Judas Machabæus Encænia templi Celebrat Anno 148 Mense Casleu 25 ut legitur lib. 1. Mac. c. 4. v. 52 et l. 2. c. 10. v. 5. l. 1. c6. Antiochus reversus est ex Perside in Babyloniam, et Venit qui Nuntiaret, quia abiit Lysias et fugatus est a facie judæorum decidit in lectum præ tristitia, et erat illic per dies multos. pænitet ipsum persecutum esse judæos. ad eos scribit Epistolam relatam in Cap. 9. l. 2. v. 19 et Mortuus est illic Antiochus Rex Cap. 6. v. 16 l. 1. Anno ineunte 149 a Nidan hoc anno Cyclo Lunæ 7. Consecratæ sunt Calendæ Nisan die circiter 26 Martii. Eodem tempore obiit Antiochus, et Cognovit Lysias qui tunc Antiochiæ erat quoniam Mortuus est Rex et Constituit regnare Antiochum filium ejus quem Nutrivit adolescentem et Vocavit Nomen Ejus Eupator, primis diebus Mensis Aprilis anni periodi Julianæ 4550. assertione autem nostræ ex motibus Lunæ et Solis demonstrantur. nam anno periodi Julianæ 4549 Cyclo Lunæ 8 æræ Seleucidarum $\frac{147}{148}$ Novilunium Medium Contigit Hierosolymis die 7. mensis Martii hora 11. et $\frac{1}{4}$ post Mediam noctem. anomalia Lunæ Sig. 9 grad. 17. min. 36 secundum Medios motus anomalia Solis fuit Signorum 6 grad. 6. min. 28. at prosthaphæresis Solis fuit grad. 0. min. 16. Lunæ grad. 2. Min. 15. adjectiva utraque. si a Majori Minorem subtrahas habebis gradum 1. min. 59. horæ tres dant gradum 1. min. 31 restant min. 28. quæ horarias minutas dant 56. tempus itaque prosthaphæreticum fuit horarum 3 min. 56. cum autem prosthaphæresis Solaris tunc Minor extiterit Solari Sol lunam præcessit et idcirco tempus prosthaphæreticum auferendum est a Novi lunio medio. unde Vera syzigia Contigit Hierosolymis Eadem die 7. Martii.

47 hora 8. min. 18 vel 19 post Mediam Noctem; quod Novilunium immediate præcessit hoc anno Neomeniam Nisan Mensis qui Cœpit die sequente 8 Martii post Phasim, et licet Sol ingressus sit in Arietis signum die tantum 23 Martii Juliani proleptici die 15. Lunario Mense inchoato jam a Vespere præcedenti, tamen hoc anno 4549 Mensis 13 intercalatus non fuit. Hierosolymæ enim validis tunc præsidiis occupatæ a Syro Macedonibus nullum hoc in urbe Judæorum Synedrium erat a quo intercalatio præciperetur. templum prophanatum non D.O.M. sed Idolorum Cultui Mancipatum erat, nec Pascha in civitate sancta Celebrari potuit, nec Novarum frugum Manipulus offerri. Verum Annus Judæo Macedonicus 149 qui Cœpit die 8 Martii intercalaris fuit, nam Cum Judas bis superato Lysia recepisset Hierosolymam restitutis Cultu divino et republica ~~Christiana~~ judaica immo repurgato templo Encœnias Celebravit die 25 Casleu quæ incidebat in 24 Novembris Juliani Proleptici. deinde Anno Periodi Julianæ 4550 intercalatus est Mensis XIII seu Veadar qui desiit ad Vesperam diei 26 Martii. Nam a Vespera die VIII Martii Anni 4549 ad Vesperam diei 26 Martii Numerantur dies Completi 384 qui Annum Lunarem intercalarem Efficiunt. eodem etiam die Hierosolymis Contigerat vera Syzygia seu Novilunium axcibēs hora 3. min. circiter 35 post Mediam Noctem. unde Annus Æræ Græcorum 149 Judaicus Cœpit ad Vesperam Ejus diei 26 quo tempore a die saltem præcedenti inchoatus fuerat Mensis Macedonicus dictus vulgo Kσιος ab Orientalibus vero Xanthicus ab Occidentalibus Artemisius appellatus. Si itaque Epiphanes ineunte anno 149 obiit die 27 Martii in Paratacene Montanæ finibus quæ Babyloniorum, nuntius de Morte Ejusdem Principis Certiorem facere potuit Lysiam qui Antiochiæ degebat intra dierum 9 aut 10 spatium. nam facillime id perficere poterant Cursores et Veredarii quorum usus frequens apud Reges Orientis, imo illorum Veredariorum Celeritatem Miram et stupendam prædicat Herodotus in Vraniæ Cap. 98. His Nunciis, inquit, nihil pernicius transcurrit in rebus humanis. Statim atque Eupator Rex inauguratus est, scripsit Epistolam Judæis qua ipsis usque ad finem Xantici dexteram Securitatis Concedebat. litteras istas refert auctor secundi libri Cap. XI. Rex Antiochus Senatui Judæorum & hisqui Commeant usque ad 30 diem Mensis Xanthici damus dexteras securitatis ut judæi utantur cibis et legibus suis anno 148 Xanthici mensis 15 die. Eadem die scripserunt ad Judæos legati ~~Judæorum~~ Romanorum, qui tunc Antiochiam propius accesserant. litteræ itaque istæ scriptæ fuere anno Periodi Julianæ

4550

4330 Seleucidarum 148 a Tisri et 149 a Nisan 7. Aprilis seu 15 Xanthici Syro Macedonici primis diebus Regni Antiochi Eupatoris, postea cum dio cessisset Lysias ad eum scripsit Epistolam quam Cap. XI multoties citato refert autor libri 2. qua Rex jubebat Lysiæ ut pacem et libertatem concederet Judæis. Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. patre nostro inter Deos translato. i. e. non ita pridem mortuo, nullus igitur error est in Notis Chronologicis harum Epistolarum.

Josephus judæorum more mensibus Lunaribus utitur quos nominibus Macedonicis appellat. hoc ideo certissimum est, quod historicus iste asserat lib. 12. Ant. C. 2. Encænia templi peracta fuisse die 25 mensis Appellæi quæ tamen die 25 Casleu Judaici Lunaris et vagi fuisse celebrata tradunt auctores utriusque libri Machabæorum. ergo idem prorsus Josepho est Appellæus ac Casleu judaicus.

Sed historicus ille scribit l. 4. de bell. jud. C. 42 Vitellium fuisse occisum Romæ die 3. appellæi mensis. id sane plurimum Eruditos nostros torsit. nam ut demonstrat Norisius dissert. 1. p. 45. cum Vitellius occisus fuerit die 20 aut 21 Decembris cui diei non congruit tertia dies appellæi Judaici quæ hoc anno incidebat in V Novembr. neque etiam Syro Macedonici appellæi veri aut Juliani tertia dies: concludit vir Eruditissimus appellæum istum esse Tyriorum mensem, cujus dies 3. incidebat in 20 Decembris. plane designat, inquit Norisius pag. 51 appellæum Solarem Tyrorum et aliorum in Phœnicia... cum Phœnicia esset Provincia Palæstinæ finitima. Josephus appellæum mensem laudato loco Phœnicum more expressit. Sed vir Eruditissimus non recte supponit omnes Phœnices usu adhibuisse menses Tyriorum. hoc enim falsum est menses Tyriorum neque aliis Phœniciis quanto minus Judæis et Palæstinis communes unquam fuere. Sicut igitur Norisius redarguit recte Usserium eo quod asseruerit Antiochum Eupatorem Epocha et mensibus Chaldæorum fuisse usum in litteris supra a me explanatis. ita grave et molestum ipsi esse non debebit, si ejus divinationi a verisimili prorsus abhorrenti non omnem fidem adhibeamus. quid enim agendum? quid commune vel Vitellius Imperator vel Judæus Josephus cum Tyriis habere potuerunt? præterea ipso fatente Norisio Vitellius saltem die 21 Decembris occisus est, si Suetonio fidem adhibeamus. hujus historici auctoritatem rejicere, cum ipsi Tacitus aut alius vetustus auctor non contradicat, æquum non videbitur. itaque mortuus est Vitellius non die 3. sed 4. appellæi Tyriorum. at, inquit Noris. p. 46. cum Josephus omnium accuratissime tempus Imperii Galbæ. Othonis ac denique Vitellii adnotaverit, suo veluti jure poscit, ut Nota Chronologica qua diem Cædis Vitellii expressit exponatur. Sed Josephus dierum et mensium seu Romanorum seu Macedonicorum quibus

49 Cæsi fuere. Nero Galba et Otho nunquam meminit. Scriptor iste discere potuit ex quodam probato Autore quot mensibus et diebus hi Principes imperaverint. Sed dies emortuales, si autor ipse, ut sæpe accidit, non notavit, Judæus noster eos ignorare potuit, imo aio Josephum nequaquam accurate historiam Vitellii narrare, quod ipse palam profitetur Cap. 29 l. 5. de bello. his verbis. ταῦτα δ' αὐτὰ διεξιέναι μὲν ἐπ' ἀκριβὲς παρῃτησάμην ἐπειδὴ δι' ὄχλου πᾶσίν ἐστι καὶ πολλοῖς Ἑλλήνων τε καὶ Ῥωμαίων ἀναγέγραπται. Ergo accurate describere hæc bella civilia aggressus non est Josephus, quod si fecisset, non puto ipsum asserere potuisse Mucianum cum Antonio primo cæsis Germanicis legionibus Vitellium obtruncasse. at hæc leguntur Cap. citato l. 4. de bel. quæ tamen a vero longe absunt. Vera itaque falsa Historicus iste admiscet. tradit C. 4. fratrem Vespasiani Sabinum, cum ipsi nunciatum fuisset Antonium primum in proximo esse cum exercitu, audaciorem quam prius fuerat evasisse et coactis vigilibus seu militia urbana Capitolium nocte occupasse, crastina vero die Domitianum filium Vespasiani cum multis ejusdem amicis et propinquis se se Sabino junxisse. et paulo inferius tradit Josephus Vitellium occisum fuisse die 3. Appellæi et τῇ δ' ὑστεραίᾳ crastina die Mucianum ingressum cum exercitu principem ἡγεμόνα seu ducem constituisse Domitianum usque dum Pater Romam veniret. Sed hæc omnia falsissima sunt. nam ut ait Tacitus lib. 1. hist. p. 78 Edit Paris in fol. Primores civitatis Fl. Sabinum præfectum urbis sermonibus secretis incitabant victoriæ famæque partem capesseret, esse illi proprium militem cohortium urbanarum, nec defuturas vigilum cohortes &c. haudquaquam erecto animo voces accipiebat invalidus senecta &c. melius interpretatio mitem virum abhorrere a sanguine et cædibus. p. 79 Vitellius 15 Kal. Jan. audita defectione legionis cohortiumque, quæ se Narniæ dediderant pullo amictu Palatio degreditur... ut in æde Concordiæ positurus insignia imperii domumque fratris petiturus discessit... prævenerat rumor ejurari ab eo imperium, scripseratque Fl. Sabinus cohortium Tribunis ut militem cohiberent: igitur tanquam omnis respublica in Vespasiani sinum cessisset, primores senatus et equestris ordinis, omnisque miles urbanus et vigiles domum Fl. Sabini complevere. illud de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium affertur longius jam progressus erat quam ut reverti posset. p. 80 circa lacum Fundani descendentibus qui Sabinum comitabantur arma hi occurrunt promptissimi

Vitelliorum. Modicum ibi prælium improviso tumultu sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus re trepida quod tutissimum est præsentibus arcem Capitolii insedit mixto milite et quibusdam Senatorum Equitumque. Vitellianus miles custodia socordi clausos circumdedit, eoque concubia nocte suos liberos Sabinus et Domitianum fratris filium in Capitolium accivit... luce prima Sabinus antequam invicem hostilia cœptarent, Cornelium Martialem è primipilaribus ad Vitellium misit, cum mandatis et questu quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus et imaginem deponendi imperii fuisse ad decipiendos tot illustres viros... togatum nempe se et unum è Senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium præliis legionum captivitatibus que urbium deditionibus cohortium judicatur, jam Hispanis Germanisque et Britannia desciscentibus fratrem Vespasiani mansisse in fide.) Sub finem vero lib. 3. tradit Tacitus Cæso Vitellio, Domitianum postquam nihil hostile metuebat, ad Duces partium (Antonium Cerealem et absente Muciano) progressum et Cæsarem consalutatum militem frequentem utque erat in armis in paternos penates deduxisse.) initio lib. 4. describit Tacitus quæ fuerit facies et miseria Urbis Romæ Cæso Vitellio et absente Muciano. tum L. Vitellium Augusti Vitellii fratrem se cum cohortibus dedidisse, sed nihilo secus fuisse interfectum, narrat imperium præterea fuisse Vespasiano firmatum a Senatu in quo multa jurgia et discordiæ fuere usque ad adventum Mutiani. tali rerum statu, inquit Tacitus l. 4. p. 89, Cum discordia inter Patres, ira apud victos, nulla in victoribus (Antonio Cereale) auctoritas, non leges non Princeps in Civitate essent, Mutianus in urbem ingressus cuncta simul in se traxit. luce clarius est multos dies effluxisse inter cædem Vitellii et adventum Mutiani, et pleraque narrata a Josepho veritati historicæ repugnare. Cum itaque Historicus iste asseruerit Vitellium occisum fuisse pridie quam Mutianus Romam ingrederetur, nemini mirum videri debet Judæum istum male diem emortualem Vitellii notasse. Josepho sicus cæteris Judæis, cum de exterarum gentium gestis differunt æg re fides adhibenda est nec Norisio opus est Josephi errorum excusandorum gratia recurrere ad menses Tyrios et verum diem emortualem Vitellii pervertire nam occisus est hic Princeps non die 20 sed 21 Decembris, ut probatur testimonio Suetonii, cui suffragatur Dio. testatur etenim lib. 66 sub finem Vitellium regnasse anno uno minus diebus decem. fatetur ~~Vitellius~~ Norisius Vitellium primum Imperatorem salutatum fuisse vespera quæ secuta est Kalendas Januarias. decem illi dies qui defuerunt Vitellio, ut annum imperii impleret, necessum est ut à 22 die Decembris numerentur. mortuus est igitur Vitellius saltem die præcedenti 21. quærerat 4 Apellæi Tyriorum, vel si dies obitus excludatur a numero dierum Imperii Vitellii trucidatus erit die 22 xbris sed ex Tacito et

51 Suetonio Constat hunc Imperatorem Superstitem non fuisse 22. Decembris.

Superest ut quædam de Anno Juliano et Mensibus Julianis ab Orientalibus receptis disseramus. Provinciarum Orientis incolæ Sub Romano Imperio viventes hanc receperunt paulatim formam Anni Cujus tamen Menses Expresserunt nominibus Syro Macedonicis. nam Macedonum Europæorum nomina varietis usus fuere. quem Morem labente Sæculo 3iam Secutus est in Canone Paschali apud Eusebium l.7. hist. c.32. Anatolius Laodicænus. Comparat enim 22 Mensis Dystri cum XI Cal. April Romanos et 26 Phamenoth Ægyptiaci. | Eusebius ipse in historia Et lib. de Martyribus Palæstinæ, æquat Menses Julianos Macedonicis Seu Syro Macedonicis. Theophilus Alexandrinus in prologo Paschalis Laterculi Sub finem Sæculi 4. dicato Theodos. Magno Asserit Æquinoctium referri ad Diem 21. Martii et 21. pariter Dystri κατὰ Σύρους Ἀντιοχέας καὶ Μακεδόνας. hic procul dubio intelligit Syro Macedones Macedonum enim Europæorum et Eorumdem Memoria tunc fere oblitterata erat utrosque tamen distinxit tunc temporis Epiphanius Contra hæresim Alogorum, imo ipse Epiphanius lib. de ponderibus et Mensuris Meminit Artemisii Syro Macedonum qui Antevertebat aliquot diebus Maium Julianum, sed Hieronymus, Aetius, Amidenus, Beda et Suidas Meminerunt tantum Mensium Syro Macedonum Julianis Æquatorum, quos Macedonicos absolute Vocant.

Non Solum autem Menses puros putos Julianos receperunt Orientales, sed sæpissime usurparunt formam Anni Juliani inchoati a Kalendis Januariis. patres enim Nicænos Annum Non inchoasse neque a Paschate, neque a Kal. Septemb. nec ab Octobri, Sed a Kal. Januar. ideo demonstratur quod decreverunt Can. 5. ut bis in uno quoque Anno Synodi fierent. prima quidem Ante 40am μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς Secunda autem Autumni tempore δευτέρα δὲ περὶ τὸν τοῦ μετοπώρου καιρὸν. igitur juxta formam Anni Nicænorum Menses Januarius et Februarius qui quadragesimam præcedunt, et quibus prima Synodus Celebranda erat, primi Menses Erant. Nicæni vero usurparunt Menses Julianos Syro Macedonicis ~~Ma~~ nominibus Expressos, ut patet Ex titulo Symboli recitato Ex lib. act. 2. Conc. Chalced. ab Eunomio Episcopo Nicomediense, titulus iste in omnibus Codicibus et Versionibus habetur his verbis: Consulatu Paulini et Juliani VV CC. Consulum Anno post Alexandrum 636 Mensis Dæsii die 19 qui est 13 Kal. Jul. in Nicæna Metropoli Provinciæ Bithyniæ. | Patres Concilii Antiocheni hunc Morem Servant etiam Can. 20. statuunt enim ut bis in Anno Concilia Celebrentur, Semel quidem post tertiam Septimanam festi Paschalis... 2a vero Synodus fiat idibus Octobris quem Hyperberetæum Græci Nominant. | quæ ex Dionysii Exigui interpretatione retuli. nam in Codd.

Græcis legitur δεκάτη non πέντε καὶ δεκάτη et quidem mendose procul dubio nam Synodum Secundam Celebrandam esse idibus Octobris habetur in omnibus Græcis Exemplaribus, Sed idus non Conveniunt Cum decimâ die Sed 15 hyperberetæi. de hac anni formâ Juliano Macedonica ab Antiochenis recepta hæc habes Norisius dissert. 3. de Epochis Syrorum p. 203. in Concilio Antiocheno quotannis juxta Julianam formam a Kal. Januar initis binæ Synodi Celebrari jubentur, quarum posterior habenda indicitur εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις ἥτις ἐστὶ δεκάτη Ὑπερβερεταίου. Adb. 8.^bri quæ est 10.^a Hyperberetæi huc usque Norisius qui recte vidit ab Antiochenis Patribus anni Juliani formam omnino Servatam fuisse. Sed Cur Vir Cl. non Notaverit idus 8^bres nequaquam Convenire Cum 10 Hypesberetæi non video. cum Synodorum Nicænæ et Antiochenæ decretis Convenit Canon sub Nomine Apostolorum n.° 36 juxta Edit. Græc. vel 38 juxta interpretationem latinam Veterem Dionysii Exigui nisi quod in Apostolico præcipiatur Synodum 2 Celebrari non 15 Sed 12 hyperberetæi idest 12 8^bris Secundum Zonaræ Balzamonis et Aristini interpretationem nam Æquant Hypesberetæum Juliano Octobri.

inter Christianos tamen Multi More judaico Xanthicum Mensem I^um appellarunt, tunc enim Pascha Celebrari Necesse erat, immo Christum fuisse incarnatum die 25 Martii Vulgo Credebant. Xanthicus idcirco Appellatur a Sancto Chrysostomo πρῶτος μὴν τῆς συλλήψεως τοῦ Δεσπότου. hic vero Chrysostomus Xanthici non Juliani, Sed Syro Macedonici inchoati a 25 Martii rationem habuisse videtur.

Xanthicum Syro Macedonicum Aprili Juliano æquatum Caput totius anni Statuit Pseudo Clemens l. 5. Const. Apost. Judæi, inquit C. 13. Cæperunt Consultare Contra Dominum feria 2. Mensis 1. qui appellatur Xanthicus et 3. feria duravit Consultatio. 4.^a vero decreverunt Crucem eum Occidere. ubi obiter Notandum est a placitis Veterum qui decernebant Xtum Mense Martio passum esse discedere hunc Auctorem Vetustissimum. Statuit enim Christum Cruci affixum Saltem post diem 4 Aprilis sive Xanthici Aprili Juliano Æquati. Pseudo Clemens iste ut Monui Macedonicos Menses Julianis Æquat. nam Cap. hujus libri 5. 16. Nomine Apostolorum ait observate diligenter Conversionem Verni Æquinoctii quæ incidit in 22 diem Mensis 12 qui appellatur Dystros. Vigesimæ vero Secundæ diei Martii Alexandrini Æquinoctium affixerunt. idem pseudo Clemens Alios Menses æquat Julianis Cap. 12 laudati lib. 5. dies festos, inquit, observate fratres, ac primum quidem diem Natalis, 25 die Mensis Noni (Apellæi Decembris.

post hanc dies Epiphaniæ in maximo honore sit, in quo Dominus divinitatem suam nobis patefecit, is vero dies hic sextus mensis ~~Audynæi~~ decimi (Audynæi Januarii.)

Constantinopolitani vero qui semper menses Julianos admiserunt, eosdemque potissimum Syro Macedonicis nominibus expressos, in Conditoris sui Constantini, qui indictionum auctor fuit, memoriam, annum incæperunt a Kal. 7bris ubi indictiones multiplicabantur. quem morem multi ex Orientalibus et Græcis secuti sunt. \ hunc jam admiserant Athenienses sæculis 4. et 5. ut supra ex Epiphanio et Macrobio demonstravi. Syriæ jam multi annum novum cum nova indictione cæperunt a Septembri. Cum autem vulgata opinio invaluisset, mundum creatum fuisse autumno, et ab æquinoctio æræ creationis duceretur initium, quod observarunt Eusebius et Hieronymus, imo cum æram Græcorum auspicarentur Syri et alii orientales pariter ab æquinoctio multi cæperunt omnes æras cum indictione nova multiplicare. \ Albategnius vetustus Arabs astronomus sæpe meminit æræ Christianorum Syrorum inceptæ ab initio Septembris sive Elul, Antiocheni etiam receperunt hunc morem annum cum nova indictione inchoandi, ut Joannis Malelæ, Evagrii, et Anonymi scriptoris Chronici Paschalis luculentis testimoniis liquet de quibus postea agam. \ Samaritani etiam annum non inchoarunt a Tisri sed ab Elul. hujus anni Samaritici diagramma characteribus genuinis edidit Scaliger l. 7. de emend. temp. p. 660. hoc diagramma confusum esse nullus dubitat, nam menses non lunares, sed solares fuisse videntur, prout agnovit Scaliger. \ attamen secundus Adar seu 13 mensis embolymæus lunaris anni cæteris mensibus adjicitur ad calcem hujus diagrammatis. sed ipsius autor, ut opinor, docere nos intendit, apud contribules suos duplicem fuisse anni formam unam solarem duodecim mensium inchoatorum ab Elul Septembri Juliano aliam lunarem incæptam a Nisan lunari. quod autem asservi, ideo verum esse mihi persuadeo quod in laudato diagrammate secundus Adar immediate subjiciatur mensi Ab cui adhærere nequaquam potest secundus Adar mensis, nam a priori Adar disjungi nequit.

Cæteri Syri admissis mensibus Julianis annum ab orbe condito et ab Alexandro semper a Kal. 8bribus auspicati sunt. hanc anni formam expressam ab Alfragano l. de Elementis Astronomicæ et a Principe Ulugbeig in insigni opere de Epochis adhuc servant Christiani Jacobitæ seu Suriani Nestoriani etiam et Maronitæ. hi menses ab Arabibus et Mahometanis scriptoribus dicuntur الروم Arroum Romanorum, sed ipsi, ut asserit eruditissimus Golius p. 16 notarum in Alfraganum, non tam Romanos proprie dictos quos potius الروم arroumam vocant quam Græcos intelligunt. \ Alfraganus enim in Elementis

Astronom. Alexandri M. seu Seleucidarum Epocham Romanis Arroum الروم
propriam facit. equidem Imperii Romani sede Byzantium translata, et
ipsum Novæ Romæ et Thraciæ Romaniæ et Græci Romanorum obtinuerunt
Nomen ita Arabes quoque Vicinos iis locis populos et qui Bosphoro Thracio, Ponto
Euxino Armeniæ parte Amano monte et Mari Mediterraneo ceu terminis
Continebantur, Romanos appellarunt, prout Abulfeda in geographia sua
docet. quin Etiam hodie Syri Ægyptii et Mesopotamii, qui Liturgias græcani-
cas servant, hoc nomine dicuntur et Modernis Græcis Ρωμαΐκα vulgare
suum idioma vocatur Græci autem vett. a Javan seu Ione Japheti filio
unde et Iones (اليونان) Aljounan Arabibus fere semper Nominari solent
reliqui autem qui Rom. Imperio suberant populi, propriis suis distincti fuere
Nominibus. Cæterum Turcæ ipsi Europæi dicuntur Rumi. Sed ante Annos
ducentos et trecentos Asia Minor, seu universæ Provinciæ inter Mare Medites-
raneum et Ægeum Pontum Euxinum et Euphratem Comprehensæ appella-
bantur Belad Roum, regiones Romanorum et Principes Mahumedani,
quibus eædem Provinciæ parebant Sultum belad al Roum Regionum Roma-
norum, quæ hanc ce sortitæ sunt appellationem, quia Amissa Ægypto et Syria
a Græcis diu sub imperio Byzantinorum Principum Asianæ istæ provinciæ
remanserunt.

Menses Syrorum seu alroum ut jam dixi pari dierum Constant Numero ac
juliani. idem etiam Mensis et pari modo quolibet quadriennio intercalationem
recipit. primus Mensium est Tisri seu Thisrir prior, October julianus,
2.us Tisri alter, Novem ber. 3. Canoun prior, December. 4. Canoun posterior
Januarius. 5. Schebat februarius. 6 Adar Martius. 7. Nisan Aprilis, 8 Eiar
Maius. 9 Haziran Junius. 10. Tamouz Julius. 11. Ab Augustus. 12. Eloul
September. | quid singula horum Mensium Nomina denotarent in ultimæ
Antiquitatis recessu fere latet. pleraque tamen spectare Deos Existimat
Doctissimus Jacobus Golius vir Mathematum et Orientalium linguarum
insigni peritia Celeberrimus. Videtur quidem inquit p. 17. Notarum in Al-
fraganum אֲדָר adar Magnus esse. الرب العظيم وهو رب الخير
Arrabeladhim Wahouw Rabbelkhair Dominus seu Deus Magnus qui est Do-
minus boni, prout Sabæi ipsi vocant, quibus et alter erat الرب الشمال arrabes-
chamal Deus lævus ut docet scriptor Arabs Doctus Abulpharagius. [illegible]oc-
trina ista Sabæorum eadem est ac Doctrina Manichæorum quorum placita
pleraque adhuc venerantur Mandaitæ Sabæi vulgo dicti Christiani sancti
Joannis. pro Haziran heliopolitanos dixisse Ὀζιά [illegible] testis est Theo Alexandrin.
lib. εἰς προχείρους κανόνας. ubi demonstrat Menses eorum plerosque omnes

nomine et ordine Cum Syriacis Concordasse, sed parum probabile videtur utrosque intellexisse Osiridem. Golius asserit hunc Mensem Nomen Laturam accepisse a prisco rege Assyriorum qui a quibusdam dicitur Chozyrus seu Hozirus et a Ptolomæo Chinzirus sed hic Rex a prisco Heroe vel Deo nomen suum habuit quod his principibus familiare fuit sic Rex Hul seu Hulæus Nomen accepit a Saturno qui dicebatur apud Assyrios Hul teste Eusebio de præp. Evang. l. 1. c. 7. Mensis pariter Tamouz appellatus est nomine Dei qui Tamuz vocabatur. Thamus vero Adonis est, ut apud veteres omnes Constat et recentiores. Osiridem etiam et Bacchum nonnulli distingui nolunt ab Adonide seu Tamuz. Simillima quippe erant Chaldæis et Ægyptiis Dei utriusque Osiridis et Bacchi sacra et festa. eadem Abulpharagius qui solemnes Chaldæorum et Sabæorum ritus juxta eorumdem tradita descripsit ita habet, prout refert Golius p. 18 Notat. in Alfragan. in Medio ejus Mensis Tamuz agitur festum Boukat, id est, mulierum Ejulantium, quod Celebratur in gratiam Dei taures i. e. Tammuz, eum vero Mulieres deflent quomodo eum interfecerit Dominus suus et ossa ejus Comminuerit in Mola et post dispersit. hunc ritum Græci et alii idolorum Cultores a Syris accepere, sed varia de Adonide interempto eorum poetæ finxere.

Curdi Montium Assyriæ incolæ ~~de~~ Gordiæi eadem fere Cum Syris (teste Golio p. 19 not. in Alfrag.) Mensium Nomina habent, et quidem designantia ipsis, uti aiunt, res tempestati cuique Convenientes, nisi quod pro Eiar Mosit Gulan i. e. Rosaceus et pro Ab mensis Dabac Æstuosus et pro Elul quoque Islun ~~[illegible]~~ i. e. Aridus (Elul nomen diversum ab Ilul esse non arbitror) observandum etiam, addit Golius, Curdis Anni Caput esse Adar Sabisuti et Chaldæis olim Mensem Nizan: Syris seu ~~Mac~~ Syro Macedonibus Tischrin priorem hos ex Syro Macedones autem in Missoris sequuntur Jacobitæ et Nestoriani. Christiani vero qui [illegible] (Melchitæ) regii fuere dicti, quod faventes sibi imperatores habuerint, Græcorum Ecclesiam hac quoque in parte secuti, primum Anni Mensem faciunt Canoun posteriorem qui Januario respondet. ita disserit Golius qui in Orientem profectus his in regionibus hæsit aliquandiu et præterea Orientalium linguarum imprimis vero Arabicæ peritissimus fuit, ita ut nulli hac in parte Cederet; quod autem asserat Melchitas et alios Græcos Annum Auspicari hodie a Kal. Januar. hoc intelligendum est de Anno incarnationis Dominicæ quæ usitata est apud ipsos jam a multis sæculis, Æram autem ab Orbe Condito semper inchoant a Kal. Sept. seu Elul quæ Æra præsertim usitatissima est apud Moscovitas et Russos schismaticos.

Jam revertendum nobis est ad Epocham Syro Macedonum seu Græcorum quæ Alexandri Magni seu Dhilkarnaim bicornis dicta est, Cujus initium

refigi debere anno urbis 442 circa autumnum demonstravit Norisius dissert. p. 84 argumentis invictis petitis ex duobus nummis, quorum primus Adriani Imperatoris in Gaza Medicaea asservatus obsignatus fuit a Tripolitis anno Seleucidarum HKY 428. et quidem istius numismatis beneficio liquet aeram Seleucidarum retrahi non posse ante autumnum anni urbis 442 nam Adrianus Imperator salutatus est saltem mense augusto anno urbis 870 Christi 117 cum adhuc annus Seleucidarum 428 numeraretur, ipso tamen ad finem vergente. quod si haec Epocha caepisset ante autumnum anni urbis 442 ante Christum 312 obsignari debuisset nummus a Tripolitis ante obitum Trajani quod falsum est. alter nummus est Antonini Elagabali obsignati ab iisdem Tripolitis anno ΓΛΦ 533 Seleucidarum, ex quo recte colligit Norisius pag. 86 et 87 ipsammet Epocham non posse differri ad annum urbis 443. nam annus ab hinc 533 in Elagabali nummo obsignatus caepisset ab autumno anni urbis 975 quo tempore Imperator Alexander Severus Elagabalo mense martio occiso Imperabat. hic posterior nummus servatur in Musaeo Josephi a Magna Vacca Bononiensis

Aeram Syro Macedonum seu Seleucidarum unicam Apameae inclytae urbis Syriacae incolae admittebant. scribit autor Chronici Paschalis anno 3. olymp. 127. qui fuit urbis conditae 444 ab his Coss. numerantur anni Syro Macedonum, sive Apamaeorum secundum Paschalium iste chronographus initium repetet hujus Epochae non ab anno primo sed tertio saltem olympiadis 117 olympiad. [illegible] duorum annorum spatio anticipat, quod ipsi alibi contigit, placitis enim variis diversorum authorum quos exscripsit et collegit adhaesit. in nummis Apameae nulla alia obsignata Epocha hactenus visa est. de hac civitate lege sectionem primam dissert. 2. Doctiss. Norisii. eadem Epocha admissa est sola a Tripolitis, ut probatur nummis mox a me ex Norisio citatis. ea usi sunt etiam Emisseni, ut patet ex duobus nummis uno Imperatoris Caracallae altero matris ejus Juliae Domnae recitatis a Norisio dissert. 2. Sect. 3. Edessenorum numismata nulla hactenus consignata Epocha aliqua visa sunt sed Edessenos adhibuisse Epocham Seleucidarum docet nos Eusebius non solum lib. 1. hist. Eccles. ex actis Thaddaei et Abgari, sed in Chronico. ibidem enim anno 1° olymp. 117 quo caepit Epocha Seleucidarum, ait ab hoc loco Edesseni tempora sua computant, et rursus ad annum primum olympiadis 264 annus 2.us Imperii Probi dicitur eidem Eusebio juxta Edessenos 588. hac ipsa olympiade inclusa, quae anno urbis 442 inchoabatur numera olympiadas exactas 147. eris ad initium olympiadis 164 olympiades 147 exactae dant annos 588. recte ergo jure et merito Norisius reprehendit Harduinum, cui —

cum Erratum esset in Calculis subducendis, asseverant Æra Edessenæ Caput anno 3. Olymp. 117 biennio post Seleucidarum Æram, sibique plaudit de nova Epocha a se reperta et Scaligero incognita. Palmyræni etiam Æra usi sunt Seleucidarum, ut liquet ex tabula Marmorea in hortis quondam Carpensibus, cujus tabulæ cum figuris Epigramma exprimi curavit Sponius p. 1. Miscellaneorum. hæc autem Epigraphe ab heliodoro Palmyreno Diis suis Patriis dicata posita fuit μηνος περιτιου ἔτους ΖΜΦ 547 Mense Peritio (Syro Macedonico) anno (Seleucidarum) 547. (Christi 236.)

Damascenos adhibuisse Æram Græcorum etiam Syria in Romanam Provinciam redacta et penitus everso Seleucidarum Imperio Demonstrat Norisius Dissert. 1. c. 2. Sect. 2. Nummis a Damascenis cusis in quibus Epocha Seleucidarum sculpta videtur. tres Nummos Damascenos recitat. unum servatum in Musæo Comitis Medio barbi Mediolani, cusum anno Seleucidarum ΗΚΤ 328. qui annus iniit anno Urbis Romæ 769 Æræ Christianæ 16 ac 3. imperii Tiberii Augusti. alterum servatum apud Dominum Franciscum Dron Parisiis, in quo sculptæ leguntur litteræ ΕΜΤ designantes annum 345 qui cæpit anno U. R. 786 Eodem Tiberio Imperante. tertium relatum a Tristano et Spanhemio in quo legitur ΔΑΜΑΣΚΗΝΩ ΓΠΣ 283 qui cum anno U. R. 724 copulatur. tunc que Augustus Imperabat. Damascus Priscæ Syriæ ~~Coe~~ Cæles seu Cavæ Metropolis primum indigenis Regibus quorum sedes erat paruit, postea vero capta ab Assyriis destructaque cum fuisset, restituta deinde a Persis ipsis subjecta fuit, tum Alexandro et post ejus obitum Seleucidis Regibus, tandem Antiochus qui a Josepho Cognominatur Dionysius prælio cum Arabibus Conserto occisus cum fuisset, Aretas Arabs vocatus est ad Imperium a Damascenis, ut narrat Josephus l. 13. Ant. c. 23. sic Cælesyriæ Regnum ad Arabas devenit, ut Cap. mox ante Citato narrat Josephus. nec enim a Seleucidis defecit hæc regio, eo quod Antiochus Dionysius in prælio cum Alexandro Jannæo Rege Judæorum Commisso perierit, ut Memoria lapsus p. 76 novi operis sui pereruditi Norisius ex Josepho refert. Historicus enim iste lib. nempe 13 loco ab insigni Critico laudato tradit Antiochum superasse Alexandrum Regem Judæorum et per Palæstinam transiisse, pervenisse que in Arabiam, ubi prælio Commisso cum hostibus Arabibus pene jam victor Antiochus necatus est.

Cæterum Pompeius Tigrane Syriæ Regno Multato, Metellum et Lollium in Cælesyriam misit, qui Aretam Damasco expulerunt. paulo post ipse Pompeius in Syriam veniens Conflixit cum Areta et Arabas ipsos sine labore in potestatem redegit et Custodia eorum oppida Munivit ut scribit Dio l. 36 p. 36 Hieron. ad Cap. 17. Esaiæ refert quosdam existimasse hæc verba

Prophetæ: Ecce Damascus desinet esse Civitas et Erit sicut acervus lapidum in ruinâ prædicit de Romana Captivitate, quando et Judæorum Captus est populus a Pompeio et Damascus cui imperabat Aretas similem sustinuit servitutem. Sed hi procul dubio decipiebantur, nam Romani Damascum non Everterunt, ita ut in acervum lapidum evaderet; hoc enim Contigit sub Achaz rege Judæ, quemadmodum l. 4 Regum C. 16 legitur his verbis: Ascendit Rex Assyriorum in Damascum et Vastavit eam et transtulit habitatores ejus Cyrenem, Rasin autem interfecit. Cyrenem autem illam, inquam Damascenos transtulit Rex Assyriæ, Cave ne accipias pro Cyrene urbe Græca Lybiæ quæ sub Assyriis non fuit, sed pro Cyrene hebraica קיר Kira quæ teste Josepho pars fuit Mediæ. dicta autem Cyrene fuit a flavio Cyro qui Mediam præterlabitur ut docent nos Plinius et Ptolomæus.

Aretam cujus supra Memini fuisse post Expeditionem Pompeii restitutum a Romanis in Regnum Damascenum et Arabicum Certum est, sed quo Anno aut sub quo duce aut Principe id Contigerit obscurum. sub finem Tiberii Augusti Damascus Aretæ Regi parebat, ut testatur S. Paulus Ep. 2. ad Corinth. C. 11. v. 32 his verbis. Damasci (Græce Δαμάσκῳ Genitivus Latinus hic est adverbialis) præpositus gentis (Græce ἐθνάρχης una voce sic dictus quod toti Syriæ Damascenæ præesset) Aretæ Regis (qui eo tempore Arabiæ Petreæ Rex Erat et Damascum tenebat, erat etiam Socer Herodis Antipæ Tetrarchæ Galilææ) Custodiebat Civitatem Damascenorum, ut me Comprehenderet, et per fenestram in sporta dimissus per Murum, et sic Effugi Manus ejus (Ethnarchæ) id autem Contigit tribus Annis saltem postquam Paulus ad Christum Conversus est, nam ut ipse met ait, Cap. 1. Ep. ad Gal. Complacuit ei qui me segregavit &c ut Evangelizarem in Gentibus, Continuo non acquievi Carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad Antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam (regionem nempe Damasco vicinam) deinde post Annos tres veni Jerosolymam videre Petrum. alium autem Apostolorum vidi Neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. at Lucas qui Multa omittit post baptismum Pauli hæc refert Cap. 9 Act. Apost. cum autem implerentur dies multi (Anni circiter tres) Concilium in unum fecerunt Judæi (Damasceni) ut eum (Paulum) interficerent. Notæ autem factæ sunt Paulo insidiæ eorum. Custodiebant autem, (jubente Ethnarcha Regis Legato) portas civitatis die ac Nocte ut eum interficerent. accipientes autem eum discipuli ejus Nocte per murum dimiserunt eum submittentes in sporta. Cum autem venisset in

Hierusalem tentabat se jungere Discipulis, et omnes timebant eum non credentes quod esset Discipulus (faciem enim ejus non noverant, ut ipsemet Paulus testatur his verbis Gal. 1. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ erant in Christo) Barnabas autem apprehensum eum duxit ad Apostolos, Petrum et Jacobum nempe. nam alios vidisse tunc Apostolos aperte negat Paulus loco mox citato Ep. ad Galatas. Jacobus enim ille Apostolus fuit Alphæi filius nec Apostolici ordinis viris inferior, ut pote qui a Paulo Gal. 2. Columna cum Cepha seu Petro et Joanne dicitur. Jacobus etenim ille qui unus e tribus Ecclesiæ Columnis erat frater Joannis filius que Zebadæi esse nequit, ut pote qui Herodis jussu fuerat interemptus antequam Paulus iterum Hierosolymam ad Apostolos proficisceretur act. 12 at Jacobus cum aliis Columnis Petro et Joanne dextram societatis dedit Paulo. Gal. 2 qui tamen alias Joannem non viderat, neque alium Apostolum præter Petrum et Jacobum fratrem Domini Gal. 1. Sed hæc obiter. Annis circiter 30 postquam Paulo Damasci a præfecto Aretæ insidiæ paratæ fuerant Regnum hujus Principis in provinciam Romanam redactum fuit imperante Trajano Anno Æræ Christianæ 107, ut docet nos Dio apud Xiphilinum l. 68 p. 777. asserit enim post victoriam Dacicam et mortem Decebali καὶ δὴ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον Eodem tempore Palmam Syriæ Præsidem Arabiam Petræam τὴν πρὸς τῇ Πέτρᾳ cepisse et redegisse in ditionem Romanorum. Syriæ tunc addita fuit Damascus et paucis abhinc Annis Phœniciæ, novæ Provinciæ a Syria distractæ anno circiter 132 ab Hadriano. Cæterum ait Justinus Martyr Dialogo contra Tryphonem ipsemet Harduino judice opusculo indubitato, quod Damascus Arabicæ terræ fuerit et sit, quamvis ei quæ Syrophœnice vocatur accenseatur nec vestrum aliqui inficiari possunt. Hæc scribebat Justinus paucis Annis ab obitu Hadriani. Tertullianus eadem fere ac Justinus scribebat c. 9 l. contra Judæos ineunte Sæc. 3. Damascus inquit, Arabiæ olim deputabatur antequam transcripta esset in Syro Phœniciam. Ex distinctione Syriarum. hujus distinctionis procul dubio Auctor fuit Adrianus, et ex supra a me citatis testimoniis Colligo Damascum paucis annis Provinciæ Syriæ Antiochenæ junctam fuisse cum semper juxta vulgatum usum deputata fuerit Arabiæ usque ad tempus quo Justinus edidit Dialogum cum Tryphone, vel usque dum urbs ista addita fuit Phœniciæ sub Adriano.

Damascenos Epocham Seleucidarum diu servasse diximus cum Cl. Norisio, sed quemadmodum Romani Annum suum Civilem non ab eodem die quo Æram suam inchoabant pariliis mos Damascenis fuit. ipsos enim eodem tempore quo Prisci eorum Domini Arabes Auspicatos esse Annum Civilem certum est et testem adducimus Simplicium in Comment. ad lib. 5. Physicor. Aristot. ubi scribit: quæ vero a nobis statuuntur initia, Anni quidem circa Solstitium Æstivum, ut apud Athenienses, vel circa Æquinoctium Autumnale velut in eâ regione quæ nunc proprie appellatur Asia, vel circa Solstitium Hiemale quod

Romanis vel denique circa Æquinoctium Vernum, quod Arabibus et Damascenis in usu est. Annum igitur Arabes Damasceni et nonnulli auspicati sunt circa ~~τ~~ Τροπὰς ἐαρινὰς Conversiones Vernas, Æquinoctium Vernum.

Hic de Anno Solari quorumdam Arabum Veterum agitur, non de lunari per omnes tempestates impune Vagante apud plerosque Arabas usitato. prisci Arabes et imprimis Veri et genuini Yamanæ Seu felicis Arabiæ incolæ hic duodecim Menses Nuncupavunt teste Nouveirio in præstanti opere quod litteraturæ Arabicæ bibliothecam appellare possumus primus Mensis dictus est Mutamer. 2. Nager. 3. Chavan. 4 Savvan. 5 Retma. 6 Ada 7 Asam 8. Adzel. 9 Natel. 10 Wael. 11 Warna 12. Borac. | hæc Nomina suo ordine respondent Arabum Mensibus nunc receptis, eorumdem autem Vetustiorum Nominum usus, ut Monet nos Golius p. 4. not. in Alfrag. Circa Imperii Arabici Auspicia prorsus obsolevit, nam multo etiam ante ut Masudes et alii docent Kelabus filius Morræ quem Mohammedis tritavum faciunt a Certis rebus quæ in Mensem quemque Ejus anni quo Mutationem hanc Moliebatur forte incidissent Nomina nunc vulgata indiderit. hucusque Golius.

Annum autem Solarem Nempe et fixum Arabes olim distinguebant in partes Sex. prima Rabii al Awal proventus prior, Nempe Herbarum florum et tuberum. 2. Saiph Æstas. 3. Kaidh Æstus. 4. Rabi athtani, proventus alter qui fructuum est. 5. Chariph Autumnus Seu potius posterior Ejus pars. 6 Schetau Hyems. | at duodecim Mensium Lunarium primus a genuinis Arabibus Moarraba nempe dictis Mutamer appellatus est a Mostaraba, adscititiis Ismaelitis Mensis Moharram i. e. Vetitus, quia primus ille Mensis Sacer, nulli que tunc fas esset bellum gerere. primus Ejus anni dies, utpote anni Caput Solemnis erat Arabiæ felicis regibus festivitate et Munificentiâ Celebratus, qui ritus etiam Persis Indis ac plerisque aliis Orientalibus Antiquissimus. Celebratur autem hoc festum dictum Nuraz persicè i. e. Novus dies, fixo tempore Circa Æquinoctium Vernum, licet annum Vagum Hegiræ cum religione Eslamitica Seu Mahometana receperint Persæ. | 2.us dictus est Saphar, Seu iter quia transacto Mense induciarum mos erat Arabibus ad prædas et bella Exire. | 3.us Mensis Rabiel Awal proventus prior quia tunc labente Vere primum proventum herbarum jam perceperant. | 4.us Mensis Rabial achar proventus posterior | 5. Giomadi ~~al Achar~~ al Awal Giomadi prior hujus et Sequentis | 6.tus Giomadi al achar Giomadi posterioris Ætymologia incerta est. Mahometani qui Arabica lingua Scripserunt tradunt hos Menses hanc Sortitos esse appellationem eo quod Anno quo Veterum Mensium Nomina immutata sunt aqua frigore Giomada Constricta fuerit, quod cum in illo Climate esset insolens, hoc Nomine Mensis insignitus fuit. | 7. Dictus est Ragiab. 8. Schaban Nominum duorum horum Mensium Causæ incertæ Sunt, Variæ

61 et parum probabiles afferuntur ab Auctoribus.} 9.us Dictus est Ramadhan, ut fere omnes conveniunt a رمض, æstu et ardore Solis, quo tunc æstate transacta exusta pleraque erant. hoc in Mense injunxit jejunium Mohammedes, et apud Antiquiores Arabes Crapulæ et Ebrietati dicatus erat, ut docent ~~Almacz~~ almacrizius et alii unde et apud illos priscos Ramadhan dictus est Natel quod Cyathum amplum in quo vinum bibebant denotat. 10.us Mensis dictus est Schauwal quod significat libidinis æstrum quo Cameli hoc Mense efferebantur, et in obvios saviebant, anno quidem quo prisca Nomina Mensium Kelabus immutavit. Leo Africanus observavit lib. 9 tempus admissuræ Camelorum contingere sub initium hyemis i.e. circa medium Mensem Novembrem. Calendarium etiam Ægyptiacum citatum a Golio p. 8 not. in Alfrag. primum Elephantorum et Camelorum impetum refert ad 23 Mensis Ægyptiaci Athyr seu 19 Novembris Juliani; sed rem extra omne dubium ponet Aristoteles, testatur enim lib. 5. historiæ Animalium Cap. 14. Camelis tempus esse Coeundi in Arabia mense Mæmacterione τῆς δ'ὀχείας ὁ χρόνος ἐν τῇ Ἀραβίᾳ κατὰ τὸν Μαιμακτηριῶνα μῆνα Mensis autem Mæmacterionis Lunaris Atheniensium Major pars ut plurimum incidebat in Julianum Novembrem. decimus itaque mensis Arabum in quo contingebat καμήλων ὀχεία circa ineuntem hyemem Mense Athyr vel Novembri etiam et Mæmacterione sedem obtinere debebat anno quo veterum Mensium Nomina immutata fuere.} undecimus mensis dictus est Dhulkada eo quod supersederent Arabes hoc mense a bello et excursionibus.} demum ultimus appellatus est Dzulhaggia a festo solemni Meccano quod tunc peragebatur. hebræis enim חָג et Arabibus حج Haggia festivitas solemnis est. hanc cum veteres Pagani ex antiquissimis temporibus agerent, et templum Meccanum sive Caba certis conversionibus circumagere consuevissent, Muhammedes sua quoque lege has Ceremonias ~~[illegible]~~ sanciendas putavit, ut anniversarii et communis hujus ritus memoria et usus in perpetuum servarentur, caveretque famæ et immunitatibus, quibus a multo ævo Mecca propterea fruebatur. imo ut Arabes et alias gentes invitaret ad Patriam suam, atque ita facilius in Nassam pelliceret. falsum itaque quod vulgo creditur Meccam quotannis adeundi Causam esse Sepulchri Mohammedani reverentiam. neque vero hoc Meccæ existit, sed Yatrebi quæ idcirco Medinat al-nabi Civitas Prophetæ dicitur. tempus autem hujus festi diversum et Mensis sedes varia fuit pro variis temporibus.} Pocockius p. 177. Not. in Specimen hist. Arabum Almakrizium exstat afferentem, peregrinorum ad templum Meckanum conventum contigisse a tempore usque Abrahami et Ismaelis semper decimo die Dzulhaggiæ cum autem ita fieret, ut incideret Conventio Arabum in omnes Anni tempestates ut tempori magis commodo prospicerent, quo scilicet maturi essent fructus et paratæ fruges, rationem tandem intercalandi quandam a Judæis, ut testatur Almakrisius et autor libri qui Nadchr alazhat odoratio florum inscribitur, didicerunt, quam

dilationem seu transpositionem Mensium vocarunt, quæ tandem a Mohammede
vetita ac sublata est.

Ex his patet ulteriores Arabas et Ismaelitas adhibuisse menses vagos non solares
et fixos, sed cum ipsis sicut cæteris Arabibus noti essent stellarum ortus et occasus
item quænam ex illis ita oppositæ sint ut in oriente hac illa occidat, quamque
pluviis excitandis vim habeant, ut refert Greg. Abulfarag. Dynastiæ nonæ initio
ipsis necesse prorsus erat, ut Anni tropici et solaris seu Cœlestis rationem haberent.|
præterea non unus fuit mos peninsulæ Amplissimæ populis, nam ut docet nos
Pocokius p. 177. Specim. ex Almakrizio et autore Naschkalazhar, Antiquitus
apud Arabes Nominibus gaudebant Menses itque pro diversa temporum ratione
~~vel~~ variis aliis scet apud Thamudum, alii apud Arabes puros (al Arab al Araba)
aliis apud al Arab Eththanica (secundi ordinis Arabes) non mirum igitur quod
nulla Nomina Extent in libris Arabicis quæ ullo modo convenire possint cum istis
Angalthabaith et Alcom Arabicorum priscorum Mensium solarium Nomini
bus ab Epiphanio contra Alogos recitatis. fateor in istis Nominibus me Arabismi
vestigia non deprehendere, sed Epiphanius hujus linguæ prorsus imperitus hæc
vocabula recte Characteribus Græcis Exprimere non potuit. librarii vero Græci
Epiphanii Panarium describentes eadem Mensium Arabicorum Nomina pejus
habuerunt. Arabes autem Majorum suorum gesta omnia non Noverunt, cum
veteres illi libros paucissimos Calamo Exararent, quod interim sarta tecta conser
varetur lingua tam late patens sine litterarum præsidiis poesis Sua debet.|
hoc est quod dicit Ebn Phares vetustus autor referente Gelaloddino in lib. Mezhar
c. 28 apud Pocok Specim. hist. Arab. p. 159 et 160 esse poemata Arabibus Com
mentariorum vice, quorum beneficio imperturbatæ servabantur Genealogiarum
series, ne oblivioni traderentur res gestæ Memoria dignæ Cavebatur, et e quibus
linguæ peritia hauriebatur. idem Gelaloddinus ex alterius Antiqui Ebn Salam
Nuncupati dictum istud refert. fuerunt poemata Arabibus olim Encyclopædiæ
pandectæ, ultimus sapientiæ eorum terminus, unde quæ illis usui depromebant
et quo omnia deferebant, sed adveniente Islamismo (ut asserit Gelaloddinus) poeseos
studium intermiserunt Arabes ad Exterarum gentium Expugnationem Conversi donec
tandem inter ipsos rerum potitos et paci redditos florere denuo Cœperint hæc studia
atque hinc est quod tot veterum poetarum Carmina quæ non aliis antea quam
fidæ horum Memoriæ apothecæ servarentur perierint.| Greg. etiam Abulfarag
refert in vita Chalifæ Almamunis ex alio autore veterrimo Kadhi Saïd Nuncu
pato sub initio Islamismi non aliis studiis Arabes operam dedisse quam linguæ suæ
et juris peritiæ Excepta Medicina, gratiam illi conciliante necessitate, libros igitur
quacumque dialecto scriptos Alexandriæ et alibi Combusserunt. atque hic fuit

Status litterarum sub Ommiadis Principibus. | tandem devoluto ad Abassidas Imperio Studia et litteræ reflorescere Cœperunt inter Arabes, ita ut nulli alii genti Doctrina et Eruditione Cesserint. majorum autem suorum Scripta et Studia non pluris fecere primi Mohammedis Sectatores quod avos suos in tenebris idololatriæ et paganismi Consepultos nihil boni et recti agere, dicere et Scribere potuisse Censerent. | pari ratione inter nostros Gregorius Episcopus Turonensis Gentilium francorum gesta narrare et requirere Contemnit. postquam enim quatuor aut quinque Solum Vocibus asseruit, Mortuo Clodione apud Francos Merovechum fuisse Regem utilem, nihil amplius addens de Eodem principe Subjicit Statim lib. 1. hist. c. 10. Sed hæc generatio fanaticis Semper Cultibus visa est obsequium præbuisse, nec prorsus agnovere Deum, illi itaque indigni erant, qui posteritati innotescerent.

Anni autem Solaris Arabum formam sic depingunt et Colligunt Ex Epiphanio ad hæresim 51. alogorum Scaliger l. 4 de Emend. temp. et Norisius dissert. 2. c. 2. sect. 2. p. 78. ait Epiphanius diem 8tu Novembris apud Romanos fuisse juxta Ægyptios XII athyr juxta Arabes Angalthabaith XXII et rursus 6 Januarii Romani fuisse apud Ægyptios XI Tubi justa Arabes Aleon XXI. itaque Angalthabaith incipiebat die 18 Octobris ut illius 22 cum 8 die Novembris Concurreret. | rursus prima dies Aleon Cadebat in diem 17. Decembris ut Ejus 21. Cum 6. Januarii decurreret, porro a die 18 Octobris ad 16 Decembris Colliguntur Menses duo tricenarii. quare (Concludit Noris.) Vetustus ille Arabum Annus erat Similis Anno Ægyptiorum quamvis initium anni a diverso Cardine ab utrisque deduceretur. | Sed non omnino firma hæc Argumentandi ratio videtur. nam Si alicujus esset ponderis æ pari demonstrari posset annum Tyriorum Similem fuisse anno Ægyptiorum. nam Menses quinque primi Hyperberetæus, Dius, Appellæus, Audynæus et Peritius quorum primus Arabico Angalthabaith et quartus Aleon æquari poterant omnes erant Tricenarii. at falsum est Tyrium Annum Constitisse Mensibus omnibus Tricenariis cum Epagomenis juxta Ægyptiacam formam

Verum enim vero hanc Anni Solaris formam a Scaligero et Norisio Ex Epiphanio prepositam non dubito receptam tantum fuisse a Damascenis et ab Arabibus ipsis Vicinioribus, incolis Nempe Arabiæ Petrææ, cujus Principatum sicut et Regionis Damascenæ Veteres Dynastæ harethæ appellati diu obtinuerunt. | nam Cæteri amplissimæ peninsulæ populi adeo diversa anni forma usi non sunt, quod omnes uno eodemque ~~Mense~~ tempore Mense 12. Meccam ad Celeberrimam Panegyrim Convenirent eodemque tempore a bellis et Excursionibus supersederent. | eosdem etiam Menses pro Sacris habentes religiosissime tunc quotannis inducias Servarent. male igitur Viri eruditissimi Arabibus priscis Saltem in Civilibus et Sacris Solaris Anni et fixi formam adscripserunt. | nam Curriculo 12 lunarum emenso

emenso Annum Compleverunt nulla Solaris Cursus habita ratione. Arabes itaque Syris proximi non a Patribus Suis Ismaelitis anni Solaris formam receperunt, sed potius a Damascenis qui ritu ipsis peculiari Vetustissimoque ut Credere par est, non ab Autumno sed ā πὸ τροπῶν ἐαρίνων Cardine et Aequinoctio Verno Annum Auspicabantur. Eundem Morem olim Veteres Persae, ut infra ostendam retinuerunt.



De Epochâ Antiochiæ urbis et Ejusdem Mensibus.

Primam et Secundam Antiochiæ Epocham ab urbe Conditâ et ab obtentâ Autonomiâ a Pompeio M. Exactis regibus hic tacebimus, rarioris enim vel nullius sunt usus, nulli que Nummi hactenus visi sunt qui ad utramque Epocham mox laudatam Certo referri possent; nec in Civilibus et Sacris unquam fuisse usurpatam Censeo.

Tertiæ sive Cæsareanæ Auctor fuit Julius Cæsar qui Antiochensibus libertatem restituit aut Confirmavit, Cæpisse hanc Epocham ab Anno V. R. DCCV Certissimum est, id et enim unanimi Consensu omnes veteres quorum ad hoc usque Ævum scripta pervenerunt, nos luculentissime docent. Eusebius in Chronico bis Epocham Antiochenorum Appellat. primum ad Annos Imperii Probi ait. Anno 2 Imperii Probi juxta Antiochenos trecentesimus vigesimus quintus Annus fuit. Annum 2ᵘᵐ imperii Probi fuisse V. R. Varron. 1030 Æræ Christi 277. ac primum Olympiadis 264. a Solstitio Æstivo eodem Anno initum ita clare Ostendit Noris. diss. 2. C. 30. sect. 1. ut nullus sit amplius hac de quæstione Ambigendi locus. at si ab anno urbis 705 Numeres Annos Antiochenorum 325 horum ultimus terminatur anno urbis 1030 qui erat 2ᵘˢ Principatus Imperatoris Probi. præterea tradit idem Eusebius decimam persecutionem seu Diocletianæam Anno Imperii Diocletiani 19 Mense Martio secundum Antiochenos anno trecentesimo quinquagesimo primo Contigisse. hæc persecutio decreta fuit Anno Æræ vulgaris 303 primo vere Anno V. R. desinente 1055 a Parilibus vel ineunte 1056, ut jam apud omnes pro Comperto habetur. Si autem Numeres ab Anno urbis 705 Annos Antiochenos Eusebio memoratos 351 incides in Annum urbis 1055. a Parilibus vel 1056 a Kalendis Januariis Christi vero 303. Concinunt Eusebio sequioris Ævi Scriptores. Joannes Malela Antiochenus scribit Novam urbem Constantinopolim dedicatam fuisse Anno urbis Antiochenæ 378 die 2. Arthemisii sive Maii Natalitia regiæ illius urbis Idatius in fastis, Chronicon Alexandrinum ac Marcellinus Comes recitant Gallicano et Symmacho Consulibus 5. idus Maii. Cedrenus ait Contigisse die XI Maii feria 2ª. indictione 3. Consules, indictio ac feria incidens in 5. idus Maii sunt insignes characteres Certo designantes Annum V. R. 1083. Christi 330 Cyclo Solis 3. littera D. jam vero ab Anno urbis 705 Numeratis Annis Antiochenorum 378 horum

67 postremus habebatur Anno V.R. 1083 X^ti 330 Mense Maio quo Constantinopolis
Natalitia primum peracta sunt. | idem Malela Narrat Julianum Apostatam oc-
cisum fuisse anno urbis Antiochiæ 411 die 26 Dæsii sive Junii ille Annus 411. Mense
Junio Concurrebat Cum Anno V.R. 1116 qua die 26 Memorata Imperator Juli-
anus interiit, Nempe Anno Æræ Vulgaris Christi 363 Eodem Juliano Augusto 4.
et Salustio Coss. | Evagrius Syrus Malelæ Coævus ab Eodem Anno 705 urbis
deducit Epocham Antiochenam, Narrat enim lib. 4. hist. c. 1. Justinum Crea-
tum fuisse Imperatorem 9.º die Mensis Panemi, qui Julius a Romanis vocatur
anno Urbis Antiochiæ 566. hoc Contigit Anno Æræ Vulgaris Christi 518. at si -
ab Anno urbis 705 numeres annos Antiochenos 568 devenies ad Annum Epochæ
Christianæ 518. Consentit Evagrio Anonymus Autor seu Collector Chronici -
Paschalis Vulgo dicti Alexandrini, Asserit enim Justinum Augustum Creatum
fuisse sub Consulatu Magni Mense Panemo i.e. Julio die 9. indict. 11. Antio-
chenorum Syriæ Anno 566. hic autem Consulatus Cum indictione XI. Notant
annum 518. quo Mense Julio Justinus Creatus fuit Imperator. in eodem
Chronico Legimus Justinianum Socium Imperii ab Avunculo Justino adsum-
ptum fuisse Mense Xanthico juxta Romanos April. die 1. indict. 5.ª anno 575.
Antiochiæ Syriæ indict. 5. est index Anni X^ti 527. quo Anno Constat Ex Novella
47 Justinianum Imperatorem designatum fuisse die 1. aprilis seu tertio
ante festum Paschatis ut docet nos procopius Cap. 9 historiæ Arcanæ quod si -
ab Autumno Anni urbis 705 Colligas Annos insuper Antiochenorum 575 deve
nies ad Annum Æræ Vulgaris 527. quo Justinianus Imperii particeps factus est
a Justino die 1. Aprilis feria 5 in Cœna Domini. | Josephus Ægyptius Sacerdos
auctor Collectionis Conciliorum Arabicæ, quæ in Bibliotheca Oxoniense as-
servatur in Præsbyterum promotus est a Marco Patriarcha Alexandrino
anno Mundi 6906 et Antea Constitutus fuerat πάρολος Ecclesiæ Beatæ Virgi -
nis anno mundi 6899 ab Orbe Condito die 14. Elul Juliani festo Exaltationis
Sanctæ Crucis qui dies Concidebat in 17. Mensis Thoth Anni Æræ Diocletiani
1107. et in 14 Septembris anni 1390 Æræ Dionysianæ, ut ipsemet Josephus testatur in
præfatione Collectionis suæ Arabicæ omnium Conciliorum a Græcis receptorum hanc
præfationem p. 20 prolegomenon Pandect. Canonum Edidit Beveregius qui etiam partem
operis hujus ex Josephi publici juris fecit ad Calcem tomi 1. laudatarum Pandectarum. |
omisit tamen Multa Et imprimis fragmentum quod descripsit Ex eodem fragmento
Pocokius misit que ad Seldenum qui istud inseruit notis suis in Origines Eutychii
hæc habentur p. 72 Citati Operis. Convenerunt ex eis Niceæ multitudo Numerosa
usque Scilicet ad bis mille et quadraginta octo Episcopos; atque Evenit hoc anno
636 Ex Annis seu Æra Alexandri qui fuit Annus 373 ex annis seu Æræ

Antiochi Antiocheni. Scriptorem istum idiotam fuisse liquet, sed bona fide quae in libris reperiebat falsa vera aut absurda colligebat. hujus fides dubia esse non potest, et Aerae Antiochenae cujus originem ignorabat annum 373 conjunctum cum Seleuci darum anno 636 reperierat apud veteriores scriptores nam a multis jam saeculis ante Josephum haec Epocha Antiochena antiquata fuerat saltem in usu publico et civili. attamen si ab anno urbis 705 numeres annos Aerae Antiochenae 373 devenies ad annum 1078 urbis conditae Christi 325 quo congregatam fuisse Nicaenam Synodum omnes norunt. tot et tanta testimonia veterum deterrere debent eruditos nonnullos qui audaci conatu caput Aerae Antiochenae a legitima sua sede dimovere tentant. Anno itaque 705 coepit Aera Antiochena, qua Eusebius, Evagrius et alii utuntur scriptores Ecclesiastici dicitur que Χρηματιζει ἡ αὐτονομία τῆς Ἀντιοχείας. jam cur ab hoc anno Antiocheni Aeram suam deduxerint indagandum. Anonymus Scriptor Chronici Paschalis vir idiota multa tradit pag. 186 et 187 de initio Imperii Caesaris et libertatis Aeraeque Antiochenae sibi pugnantia. scribit enim Caesarem creatum fuisse Imperatorem Hirtio et Pansa Coss. 4. id. maias, tempora quae Antiochenorum numerari coepisse ab hoc anno quo statuit Chronographus iste Caesarem autonomiam Antiochenis indulsisse. idem tamen contigisse anno sequenti Lepido et Planco Coss. tradit. nec vidit utrumque Caesarem a se confundi, totisque annis sex Antiochenam Aeram decurtari. in annis vero sequentibus recte nihilominus annos Antiochenos cum consulatibus conjungit. minus recte etiam caput Aerae Antiochenae assignare forsan videbitur anno 2. olymp. 183. quod tamen ab anno 4. olymp. 182 dimoveri nequit. at idiota noster Germanus scriptor non fuit, sed merus exscriptor librorum quos legebat et consarcinator, nec ipse unquam chronologus fuit seu doctrinae temporum magister: imo cum uno solido anno receptum Olympiadum computum plerumque anticipet, ipsi annus iste secundus nobis primus est olymp. 183. ab anno quidem primo Imperii Julii Caesaris Epochae Antiochenae deducit initium Chronographus noster, sed duplicem operi suo inseruit sententiam de anno quo Caesar Romae primum rerum potitus est, asserit certe Caesarem imperare coepisse anno 2. olymp. 183. sed prius haec scripserat ad annum superiorem primum annum nempe olymp. 183. Pansa et Hirtio Coss. Caius Julius Caesar primus Romanorum Imperator creatus est. Hactenus res Romanorum administratae sunt a Bruto et Collatino caeterisque post illos Coss. per annos 393. sive usque ad praesentem annum Cleopatrae et primum annum Caii Julii Caesaris et praedictos Coss. praefato huic anno primo olymp. 183 pessime idiota noster alligat consulatum Pansae et Hirtii annumque Cleopatrae quintum. nam praefatus

69 Consulatus et quintus Annus Cleopatræ pertinent ad annum V.R. 711. et 2. Olymp. 184. juxta Vulgatum Computum et 3 Olymp. Ejusdem pro more Chronographi istius. Sed ipse Nequaquam Criticus fuit absque ullo judicio et Examine quæ reperit farragini suæ intrusit. | Sufficiat nobis ostendisse luculenter Anonymum istum initium deduxisse Epochæ Antiochenæ ab Anno quidem V.R. 705. Ex binis mox allatis Exemplis et ab Imperii Julii Cæsaris Anno primo quem juxta quorundam opinionem alligat Anno primo Olymp. 183. pro more sibi Consueto vel 4. Olymp. 182 secundum Vulgarem Computum qui incidit in Annum V.R. 705 at Anno sequenti Olympiadis 183 ½ quo prælium Pharsalicum fuit Commissum, Victus etiam Pompeius a Cæsare alii nonnulli Imperii Julii Cæsaris Exordium sumere satius dux erant, quorum placitis etiam Chronographus noster adhærere Videri posset, sed ab hoc Anno Epocha Antiochena Ex Ejusdem Anonymi Calculis incipere Nequit, ut jam demonstratum est.

Eo loci itaque Olympiadum Computum, ut opinor, antevertitur duorum Annorum spatio, ut aliquando apud laudatum Chronographum Contingit, parique numero Annorum Olympiadas Vulgares antevertit, dum recitat initium Epochæ Syro Macedonum, ut dissert. præcedenti demonstratum est. Exscripsit igitur ex Vetustioribus libris hæc Verba: | proposita est in Magna Antiochia Mius libertas, quando subjecta Romanis fuit Vigesima die Artemisii mensis χρηματίζει ἐν τῆς μεγάλης Αντιοχείας εἰς τιμὴν αὐτῆς lege αὐτοῦ putatur itaque Magnæ Antiochiæ in honorem Ejus Cæsaris, annus primus atque etiam primus Annus quindecennti indictionum à primo Caii Julii Cæsaris anno. et paulo post hæc in laudato Chronico habentur. | initium indictionum a primo Anno C. Julii Cæsaris et prædictis SS. Lepido et Planco, ac ipso 12 die Mensis Artemisii Antiocheni Annos suos putant ac indictiones numerari cæpere a primo die ipsius Gorpiæi Mensis. at quidquid ipse peccaverit, luce meridianâ clarius apparet quindecennalem Cyclum indictionum ab eo usurpatum Cæpisse Calend. Septembribus anno V.R. 705. | hoc autem Anno Jul. Cæsar appellari non potuit, imperator aut Dictator Antiochiæ, quam Scipio infensissimus hostis Cæsaris gravi jugo premebat, neca pugnâ Pharsalica Ejusdem Æræ, ut Volebat Petavius, deduci potest initium. | Anno enim sequenti tantum in Thessalia a Romanis pugnatum est, nec mense Maio Commissum est hoc prælium, uti arbitrabantur Petitus et Petavius, nam, ut Cæsar ipse scribit, lib. 2. belli Civilis Cap. 72. segetis idoneum locum in agris quæ prope jam Matura erat adventum Pompeii ibidem Expectare Constituit. at, inquit Norisius Dissert. 3. p. 164. segetes in Thessalia sub initium Junii jam sunt Maturæ idem Cæsar, Pergit Norisius, Cap. 82 scribit: Pompeius paucis post diebus in Thessaliam pervenit, nempe initio junii Anni Juliani proleptici. | Cum vero Cæsar et Pompeius Castra invicem opposita metati essent, Cæsar Continentibus diebus aciem instruebat, ac prælium Pompeio recusante indies Cæsareanis audacia spesque simul

augebantur. ibid. Cap. 84. Ex his patet praelium Pharsalicum non contigisse circa diem
XII Maii anno urbis 706, ac proinde nihil tunc potuisse in gratiam Victoriae Caesaris ab
Antiochenis decerni, uti Doctissimus Petavius arbitrabatur. hucusque Norisius Dissert.
3. p. 164. Caeterum idem Norisius aequo jure suspicatus est in Chronico Paschali
lacunam esse. ibidem enim legitur sub finem p. 186 πρὸ δ εἰδῶν Μαΐων ... καὶ
προετέθη δὲ diem 4. id. Maii notat Chronographus, quae tamen nihil gestum
recenset, sed quod deficit supplendum est ex Joanne Malela a quo autor Chronici
Paschalis multa mutuatus est, et ex laudato Malela sic legendum 4. Idus Maii —
sive 12 Artemisii in Urbe Antiochena propositum est Edictum de Imperio Julii Caesaris
et propositum est etiam in Magna Antiochia Mitis libertas. && die 20 Artemisii. non
mirum igitur quod Chronographus noster paulo inferius asserat Antiochenos tempora
sua putasse a die 12 Maii. Nec haec dies 4. idus Maii signata in Chronico referri
debet ad initium Imperii Julii Caesaris, sed ad diem qua ejus imperium fuisse edicto
propositum Antiochiae a Chronographis supra a me laudatis supponitur. ab ipsis
ibidem statuuntur duplicis Epochae initia apud Antiochenos, unum αὐτονομίας incipi
ens a 12 Maii seu Artemisii, alterum indictionis Caesareae exordium a Calendis
Gorpiaei vel Septembris sumentis. utrumque examini subjiciendum est.

Scaliger cum notasset scriptorem Chronici Alexandrini seu Paschalis
ab urbe condita 705 inchoare apud Antiochiam cyclum indictionum ex quin
denis annis compositum, ac Adrianum remissionem debitorum fisco 16 annorum spa
tio quot ab una ad alteram indictionem inclusive numerantur circumscripsisse
et rursus M. Aurelium Augustum alteram remissionem publicorum debitorum
fisco indulsisse ad annos ut ait 45 qui tres indictiones constituunt. hocquoque
beneficium a Caesare Antiochenis anno urbis 705 collatum putat. Ejus verba
sunt in Notis Eusebianis num. 2134. idem fecisse videtur Julius Caesar Antio
chensibus qui annos suos ab indictione Caesariana putabant, nimirum a
remissis unius indictionis sive trium lustrorum reliquis. atque adeo ab illa Epocha
Antiochensi ad hanc Adriani indictionem praeterierunt indictiones undecim
absolutae. qui hanc Scaligeri opinionem propugnant notant Pompeium anno
urbis 690 Antiochiam Romano Imperio tributariam fecisse. Eo enim
anno Pompeium fuisse Antiochiae tradit in chronicis Malela Antiochenus
qui etiam scribit eundem die 19 Junii inde discessisse. itaque Pompeius cum
Antiochensibus tributa Romano populo pensitanda imposuit, ea per tria
lustra, idest integram indictionem disposuit. quare cum anno urbis 705 Pom
peiana indictio exiisset, et altera sequeretur, ac anno ejus 2° Caesar Anti
ochiam ex Aegypto advenisset, cives eandem indictionem Caesarianam nun
cupasse contendunt Scaligeri sequaces, a qua indictione etiam annos

Suæ urbis Antiocheni deinceps in gratiam Cæsaris decreverunt numerandos.|
Evagrius quidem lib. 2. Cap. 12 narrat Antiochiam Trajano Imperante ingenti
terræ motu vastatam fuisse anno 159 τῆς αὐτονομίας ab obtenta autonomia
sive postquam suis legibus uti permissa est. quæ tamen in idem recidunt, cum
de tempore sermo est. siquidem eodem Anno U. R. 690 Populus Antiochiæ ita
αὐτόνομος factus est, ut tamen Romanis una tributarius esse cœperit. | in hoc autem
Cæsari adulati sunt quod Pompeii quindecennio excluso æram suam ab alterius
indictionis exordio iterum ineundam statuere, quod 2° ejusdem indictionis anno
Cæsar Antiochiæ præsens eandem urbem non uno beneficio sibi devinxit. | in hac
sententia, inquit Norisius p. 178. dissert. 3. unum displicet quod indictionem
sive Cyclum 15 annorum jam inde a Pompeio Syriam occupante institutam
fautores Scaligeri putent; nam apud Romanos non per trina sed per singula lustra
tributa ac locationes disponebantur. | Plinius l. 9. Ep. 37. ait: præsertim cum
me necessitas locandorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, in quo
mihi nova consilia sumenda sunt, nam priore lustro quanquam post magnas
remissiones reliqua creverunt &c. publicorum etiam tributorum collatio in
quinquennium apud Romanos publicanis locabatur. | Varro lib. 5. de ling. lat.
lustrum, inquit, nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc est solvendo
quod quinto quoque anno vectigalia et ultro tributa per censores persolvebantur.
| Cicero in Verrina 4. ait: quinto quoque anno Sicilia tota censetur, erat
censa Prætore Peduceo. quintus cum te prætore incidisset, censa denuo est.
et antea de Censoribus ait: ille enim magistratus apud Siculos diligentissime
mandatur a Populo propter hanc causam, quod omnes Siculi ex censu quotannis
tributa conferunt. | idem Cicero lib. 6 ad Atticum cum esset Proconsul Ciliciæ
provinciæ Syriæ finitimæ scribit: mira erant in civitatibus ipsorum furta
Græcorum quæ magistratus sui fecerant; quæsivi ipse de his qui annis decem
proximis magistratum gesserant, nempe per duo proxima lustra præterita.
statimque addit: populi autem nullo gemitu publicanis quibus hoc ipso lustro
nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderunt. itaque publicanis in
oculis sumus; ita passim solutiones tributorum per lustra nusquam per
indictiones 15 annorum, sive trium lustrorum in Romanis Scriptoribus
occurrunt, siquidem istæ indictiones autorem habuerunt Constantinum M.|
huc usque Norisius qui optime sententiam Scaligeri refellit. nam certissimum
est primam indictionum quindecennalium institutionem ad Constantinum M.
esse referendam. Græculi tamen sæculo 6.° cum in Antiquitatibus Romanorum
tunc essent plane hospites, non veriti sunt indictionum quindecennalium institutionem Cæsari tribuere, eo quod viderent primum æræ Antiochenæ

annum cum anno 1.° Cycli Quindecennalis concurrere, imo ut ex Evagrio constat, tunc temporis labente saeculo 6. annum civilem Antiocheni a Cal. Septembr. auspicabantur, quem morem ipsi et multi alii Syri quorum jam meminimus susceperant ut Constantinopolis Regiae urbis institutis adhaererent. regia enim in urbe annum incipiebant vulgo a neomenia Gorpiaei septembri juliano aequati cum indictiones multiplicabant, sed sequioris aevi scriptores omnia imperite ad Julium Caesarem referebant horum errores hic castigare absre non erit | 1.° falsissimum est ut supra monuimus decretum de Imperio Julii Caesaris propositum fuisse anno primo Epochae Antiochenae urbis Romae 705. nam tunc temporis in Scipionis potestate et hostium Caesaris erant Antiochenses. praeterea falsum est, decretum de suscipiendo Imperio Julii Caesaris publicatum fuisse XI diebus antequam Caesar Antiochiam veniret, et eodem anno nam Antiochenses decreto Imperium Caesaris susceperunt et Pompeium sequacesque ejus pro hostibus habuerunt anno urbis 706 statim atque nuncium victoriae Pharsalicae receperunt, ut testatur Caesar lib. 3 de bello civili Cap. 102. Pompeius in Ciliciam atque inde Cyprum pervenit, ubi cognoscit consensu omnium Antiochensium civiumque Romanorum qui illic negotiarentur arcem ante captam excludendi sui causa nunciosque dimissos ad eos qui se ex fuga in finitimas recepisse civitates dicerentur, ne Antiochiam adirent, id si fecissent magno eorum capitis periculo futurum. sed nec Imperium Julii Caesaris Antiochiae mense Artemisii die 12 primum susceptum fuit. nam nuncius cladis Pharsalicae in Syriam pervenire non potuit ante finem julii proleptici seu initium Loi Antiocheni, ut ex supra a me relatis de tempore praelii Pharsalici constat, nihil igitur contigit Antiochiae sive anno urbis 705 sive mensis Artemisii 12.° die quod novae aerae instituendae causa esse potuerit. | Joannes quidem Malela refert edictum Julii Caesaris de autonomia Antiochiae latum die 20.° Artemisii. sed edictum illud plane fictitium est, nec Malela qui idiota et rudis plane scriptor est, ullam fidem conciliare debet edicto huic suppositio, cujus falsitas aperte ex Prooemio patet. ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει, ἱερᾷ καὶ ἀσύλῳ καὶ αὐτονόμῳ καὶ προκαθημένῃ τῆς ἀνατολῆς Ἰούλιος Γάιος Καῖσαρ &c. certe haec scripta fuerunt post Constantinum qui novam Dioecesim instituit τῆς ἀνατολῆς Orientis cujus προκαθημένην Principem constituit Antiochiam. at aevo Julii Caesaris Antiochia Syrorum tantum caput et princeps erat. hujus urbis dignitatem postea imminuit Adrianus qui Phoenicem a Syria separavit teste Spartiano, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur. tandem Constantinus hanc urbem Orienti novae Dioecesi a se institutae praeposuit

Certum est igitur quo tempore fabulae illae in vulgus sparsae sunt Antiochenos veri initii tum autonomiae suae tum indictionum prorsus oblitos fuisse. demiror itaque Clariss. Noritium qui totus Evagrii, Malelae, ejusdemque farinae Graeculorum sequioris que aevi scriptorum placitis inhaeret, dum indagare conatur initium aerae civilis Antiochenorum. ipsi quidem persuasum erat indictionum auctorem fuisse Dictatorem Caesarem

initium que eas habuisse Antiochiæ a Calendis Gorpiæi seu Septembris Juliani Anno urbis 705 vel primo χρηματισμοῦ et αὐτονομίας Anno. Sed hoc falsum esse demonstravit ipse Norisius. nullo itaque fundamento innixus statuit vir Præstantissimus a tempore Julii Cæsaris annum Civilem incepisse a Calendis Septembr. quibus indictiones sequioribus temporibus multiplicatæ sunt. ipsarum vero Originem et institutionem ad Imperatorem Constantinum esse referendam Censet Norisius, et quidem recte, ubinam igitur ante indictionum usum receptum reperiet annum Civilem ullum populum aut Civitatis cujus vis incolas a Kal. Septembr. Auspicatos esse? nullibi gentium procul dubio. aut igitur cum Scaligero et sequacibus ejus statuat Norisius indictionum institutum apud Antiochenos a Cal. Septembr. incipientium Cæsari Dictatori referendum esse, aut fateatur priscum annum civilem Antiochenum non inchoatum fuisse a Neomenia Gorpiæi. Nec citandi Malela Evagrius et Anonymus farraginis Alexandrinæ Compilator, quorum Errores abunde Castigati sunt, nam eo venerunt tempore quo Deorum Cultu et idololatria funditus excisis indictionum usus et Anni Constantinopolitani forma a plerisque Syris recepta, imo admissis Mensibus Julianis, moribus etiam vetustis priscorum Antiochenorum tunc Antiquatis nihil Syri illi posteriores de ritibus patrum suorum abolitis sciebant, fabulasque absurdas et stupendas pro veris et sinceris Monumentis Antiquitatis obtrudebant. | abunde in prima parte hujus dissertationis probavimus priscos Syro Macedones et Antiochenos nequaquam mensibus Julianis usos fuisse, et saltem Multis sæculis post Cæsarem Menses suos Macedonicos Romanis et Julianis æquasse. præterea errat vir clariss. dum Causam assignat Novæ Epochæ institutæ ab Antiochenis. ait Enim p. 172. dissert. 3. anno urbis 705 ac proximo 706 usque ad Nuncium Victoriæ Pharsalicæ infortunas Antiochiensium acerbissime a Scipione et Pompeianis sævitum fuisse, ita ut publice et privatim gravissimas usuras teste Cæsare lib. 3. bell. civil. c. 32 Contrahere Coacti fuerint, ut idem ait Cæsar æs alienum Provinciæ Eo ~~Anno~~ biennio Multiplicatum est &c. addit hæc Norisius p. 173. hinc tot beneficiis a Cæsare Ornati novam ob Confirmatam ipsis autonomiam Epocham instituerunt, Cujus tamen initium ab Anno U. R. 705 deductum voluerunt, quod Cæsar Novis legibus ea Cuncta mala reparasset quæ eo biennio ob Scipionis ac Ministrorum rapacitatem miserrime passi fuerant. hucusque Norisius. | Sed Novum plane et inauditum videtur Antiochenos æram ob Autonomiam receptam vel Confirmatam instituisse non ab anno quo vere libertatem receperant, aut ab initio imperii optimi ac Gratissimi sui benefactoris, sed a tempore quo gravissima Tyrannide oppressi sub jugo Exactorum gemebant, istud mihi plane absurdum videtur, pace tanti viri dixerim. nec regerat Caput Novæ æræ Cæsarianæ seu in gratiam Cæsaris institutæ Antiochenos deductum voluisse ab Anno urbis Conditæ 705 ad quem usque annum sua beneficia idem Cæsar extenderat. Nam non solum gravissima tributa indicta fuerant Antiochenis a Scipione hoc biennio, sed revera ab ipsis summo suo damno soluta fuerant, nec Cæsar adempta Civibus restituere jam poterat. | hinc Colligo male Norisium Pronuntiasse germanam Causam institutionis Novæ æræ Antiochenæ deductæ

ab Anno 705 abrupto fuisse allatam, sed optime viderat Usserius quem immerito reprehendit Norisius initium Æræ Antiochenæ esse unum et idem ac initium Imperii Julii Cæsaris ut notatur in Chronico Alexandrino seu Paschali. Verum ait Norisius pag. 168 et 169 hæc Usserii sententia minus forte probanda. videri potest, quod Cæsar eo Anno Urbis 705 Creatus fuit Dictator Comitiorum tantum habendorum non rei gerendæ causa. Sed hæc objectio nihili est. namut narrat Cæsar l. 3. bel. civ. Dictatore Comitia habente Cæsare Consules Creantur J. Cæsar et P. Servilius. et paulo post. his rebus et feriis latinis Comitiisque omnibus perficiendis XI dies tribuit, Dictatura que se abdicat et ab urbe proficiscitur. duravit quidem undecim diebus tantum hæc dictatura sed non ipsa se abdicavit Cæsar priusquam semet Consulem in proximum Annum designandum Curasset, Consulare que imperium ad bellum gerendum obtinuisset, unde Lucanus ait lib. 5. v. 382 et seqq.

iste petit trepidam tutus sine milite Romam
jam doctam servire togæ, populo que precanti
scilicet indulgens summum Dictator honorem
Contigit et lætos fecit se Consule fastos.
namque omnes voces per quas jam tempore tanto
mentimur Dominis hæc primum repperit ætas
qua sibi nec ferri jus ullum Cæsar abesset
Ausonias voluit gladiis miscere secures
addidit et fasces aquilis et nomen inane
imperii rapiens signavit tempora digna
mæsta nota, nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit, fingit solemnia Campus
et non admissæ dirimit suffragia plebis
decantat que tribus et vana versat in urna
nec Cœlum servare licet: tonat augure surdo
et lætæ jurant aves bubone sinistro
inde perit primum quondam veneranda potestas
juris inops Careat tantum ne nomine tempus
menstruus infausto ~~in~~ distinguit sæcula Consul
nec non iliacæ numen quod præsidet albæ
haud meritum latio solemnia sacra subacto
vidit flammifera Confectas nocte latinas
inderapit Cursus &c (Cæsar nempe)

Expressius et elegantius signare non poterat Poeta Cæsarem tunc primum summam Romanæ reipublicæ obtinuisse potestatem, libertate populi Conculcata quam his verbis addidit et fasces Aquilis et Nomen inane imperii rapiens vana versat in urnas, nec Cœlum servare licet. inde perit primum veneranda potestas. certe his Carminibus lucu lentissime refellitur Norisius, vindicatur que sententia Norisii, imo demonstratur ab hoc tempore inchoatum fuisse Julii Cæsaris imperium, et tunc primum supremam liberam que potestatem in populum Romanum obtinuisse. recte itaque Antiocheni quibus æram suam non a die obtentæ vel Confirmatæ Autonomiæ auspicari placuit

Sed ab initio Imperii benefactoris sui Cæsaris ipsam inchoarunt ab Anno U. R. 705 quo primum periit Lucano teste veneranda potestas Magistratuum et populi Romani omnino absoluta et libera potestate tunc in Cæsarem translata, licet nondum Dictatoris perpetui titulum sibi vindicasset. Nunc alia maximi momenti Provincia nobis obvenit. inquirendum enim nobis est a quo Mense sive Syro Macedonum sive Romanorum Anni Æræ et urbis Antiochenæ habuerint initium, priscis nimirum temporibus antequam indictiones per Orientem invectæ fuissent, et priusquam Deorum religio prorsus extincta fuisset, Christi fide ab omnibus susceptâ, templis et fanis eversis, sacrificiisque profanis interdictis, nec istos antiquos mores expiscari convenit ex libris Evagrii, Malelæ et Theophylacti Simocattæ, nam eo sæculo floruerunt quo Antiocheni ita ritus antiquos sibi suæ mutaverant, ut eorum ne levissimum superesset vestigium. indictionum a Cal. Septembribus multiplicatarum usus tunc invaluerat Antiochiæ, et aliquando Evagrio et Malelæ in libris vetustis qui extabant legere contingebat notas Chronologicas, ipsi falsas alias notas feriæ Consulatus non raro et indictionis addebant, ut ipsemet fatetur Noris. dissert. 3. p. 183. at luculentum de primo Anni Civilis Antiocheni Mense testimonium nobis suppeditat Julianus Augustus ipse testis omni exceptione major. asseverat enim in Misopogone 2. parte operum ejus. p. 96. Loum fuisse decimum Antiochenorum Mensem his verbis: δεκάτῳ γὰρ τῷ μηνὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἀριθμουμένων Λῷον οἶμαι τοῦτον ὑμεῖς προσαγορεύετε τοῦ θεοῦ τούτου πάτριός ἐστιν ἑορτή. si Lous decimus fuit Mensis, certissime affirmare possumus, Dium primum Anni Civilis Antiocheni mensem fuisse. hoc verum esse primus vidit ex Juliano Usserius dissert. de Anno Solari Macedonum, sed cum sibi persuasisset annum a die 24 Septembris Antiochenos olim semper fuisse auspicatos, asseruit Antiochenos usu non adhibuisse Menses Syro Macedonum, sed Macedonum Europæorum. hæc autem assertio falsa et absurda omnino est, nam Antiocheni veri et puti fuere Syro Macedones, cæterorum quasi Principes et Parentes, unde Theophilus Alexandrinus in proæmio Paschalis libri ante Cyclum Can. 5. Arcadio Augusto, inquit, Macedonas, Orientales nempe, eosdem esse ac Syros Antiochenos. nulli itaque erudito aut litterato placuit sententia Usserii quam fusius refellere operæ pretium me facturum non esse censeo, cum sit causa ejus conclamata. Valesius in notis ad lib. Eusebii de Martyribus Palæstinæ p. 173 autoritate Juliani Augusti fultus asseruit Antiochenos Anni exordium duxisse a Dio Syro Macedonum. idem, ait laudatus Valesius, subindicat in Misopogone p. 70 his verbis: ἡ Σύρων ἧκει νουμηνία, καὶ ὁ Καῖσαρ αὖθις εἰς Φιλίου Διὸς εἶτα ἡ πάγκοινος ἑορτὴ καὶ ὁ Καῖσαρ εἰς τὸ τῆς Τύχης ἔρχεται τέμενος. jam pridem, pergit Valesius, in Animadversionibus ad lib. 23 Ammian. Marcell. demonstravimus πάγκοινον ἑορτὴν esse Calendas Januarias. cum ergo teste Juliano Neomeniam Anni Syrorum aliquantisper præcessisse Calendas Januarias perspicuum fit non idem fuisse principium Anni Syrorum ac Romanorum. Dium vero apud Antiochenos Annum aperuisse ex eodem Juliani loco non obscure colligitur. Scribit enim

Julianus se Kalendis primi Mensis Syrorum templum Jovis adisse Sacrificandi Causa eo quod primus scilicet ipsorum Mensis Jovi Sacer esset et a Jove nomen accepisset, Dius enim dicitur ἀπὸ τοῦ Διὸς et recte primus anni Mensis a Jove quem Principem ac initium putabant Cognominatus est. quod si Hypesberetæus anni Syrorum Caput fuisset, frigide prorsus id diceret ad apud Julianum. Cum enim Antiochenses Julianum irriderent, quod nimis assiduus esset Cultor Deorum et perpetuo Sacrificaret, Exemplum et Specimen hoc afferunt. Venerunt Calendæ Syrorum rursus Cæsar ad Jovis Philii. post hæc Calendæ Januariæ Cæsar ad fanum genii publici procedit. modicum igitur temporis spatium inter fuisse oportet inter Syrorum et Romanorum Calendas, ad hoc ut Julianus ab Antiochensibus merito irrideri potuerit ob nimiam frequentiam Sacrificiorum. hucusque Valesius qui recte et solide, ut opinor, ratiocinatur. at Ejus sententia displicet Clariss. Norisio, licet insignis Criticus noster se victum testimoniis Juliani fateatur his verbis dissert. 3. p. 209. hæreo, inquit, fateor ad aquas, nescio quo mihi vadum tentandum. si enim, ut ait Julianus Antiocheni Mensem Loum in anno decimum numerabant a Mense Dio annum procul dubio inibant. itaque vir præstantissimus omnia tentat ut sidera Juliani elevet. incassum laborat, ni fallor, asserit primo Julianum ignorasse formam Anni Antiocheni quia Juvenis substiterat Nicomediæ in Bithynia, ubi anni Macedonici forma servabatur. sed quis docuit Norisium tunc in Bithyniâ formam anni Macedonicam fuisse usitatam? nemo sane, imo Patres Synodi Nicenæ œcumenicæ eodem ~~seculo~~ Sæculo Congregatæ in Bithynia usu adhibent menses Syro Macedonicos. Comparant enim Mensem Dæsium cum Junio More Syro Macedonico, non cum Panemo, more Macedonum Europæorum, in Expositione fidei quæ Extat inter acta Concilii Chalcedonensis. tandem falso supponit Norisius Asianos nequaquam Menses Syro Macedonum admisisse istos enim Ex Asianis, saltem Smyrnæi, ut supra demonstravimus, usurpavere. Vulgatissimi in Asiâ, Ponto et Thraciâ erant Syro Macedonici Menses, quod patet non solum testimonio jam a me allato patrum Nicænorum sed more Constantinopolitanorum, qui Julianos Menses Nominibus Syro Macedonicis appellabant, quin imo adeo vulgati vitiique usu vulgari fuere Syro Macedonici Menses, ut sequioris ævi scriptores hos solos veluti Beda Suidas &c. agnoscant. hos semper vocant Macedonum Menses, memoria tunc Mensium Europæorum Macedonum oblitterata. Julianus itaque in Asiâ Minori educatus Mensium Syro Macedonicorum ordinem ignorare non potuit, sed licet antea ignorasset eundem ordinem, omnino didicisset Antiochiæ ubi jugiter substiterat, per septimestre spatium, cum edidit opus suum quod Misopogonem inscripsit, imo qui Calendas seu primum diem anni Syrorum, id est, Antiochenorum Celebravit quomodo ignorare potuit quotus esset Lous Mensis quo apud Daphnen festum solemne solis etiam Celebraverat. at Calendarum Novi Anni Antiocheni festivitatem egerat Julianus in templo jovis Philii ἡ Σύρων ἧκει νουμηνία x, ὁ Καῖσαρ αὖθις εἰς φιλίου Διὸς aiant Antiocheni apud Julianum in Misopogone p. 70. 2æ partis. aut igitur tribus mensibus circiter elapsis a νουμηνίᾳ ἔτους Σύρων deliraverat Julianus cum Misopogonem edidit, quod absurdum esset asserere, vel oblitus erat diei quo Jovem Philium Patrium

77 Deum Antiochenorum Coluerat primo die anni Antiocheni. Sed julianus loco citato nulla memorat, nisi ea quorum bene meminerat, seu et quæ in Commentarios diurnos relata fuerant, ut docet nos ipse julianus pag. mox citata his verbis. Sacrificavit semel Cæsar in templo jovis, deinde in fortunæ, deinceps terivit ad Cereris (neque enim quoties ad Daphnem templum ierim memoria teneo) &c. Venerunt Syrorum Calendæ, rursus Cæsar ad jovis Philii. recte subjungit julianus εἶτα ἡ πάγκοινος ἑορτὴ καὶ ὁ Καῖσαρ ἐς τὸ τῆς τύχης ἔρχεται τέμενος deinde Calendæ januariæ et Cæsar genii templum adiit πάγκοινον vero ἑορτὴν esse Calendas januarias, quod is dies per totum Romanum Imperium festus haberetur demonstravit Valesius in notis ad lib. 23 Amm. Marc. p. 351 novæ editionis. hunc diem julianus antea τὴν νουμηνίαν τοῦ ἔτους appellaverat p. 59. inter missovero Nefasto die, ut addit julianus, seu Antiocheni quos introducit obloquentes rursum in ædem jovis Philii more majorum vota suscepit. tertia autem die januarii vota pro salute Principis et populi Romani suscipi consuevisse notum est. omnia itaque recte et apposite tradit et memorat julianus, qui cum Calendas Anni Novi Antiocheni ipse celebraverit Antochiæ, melius Antiochenorum Mensium ordinem scivit quam Eruditissimus et præstantissimus Norisius. qui ergo contra Criticorum omnium regulas Veteribus et prioris autoritatis Scriptoribus fidem abjudicat, ut Morum Antiquioris ævi judices constituat Græculos Evagrium, Malelam et Anonymum consarcinatorem farraginis alexandrinæ, male, inquam, ex usu recepto seculo 6.° et 7.° Vir insignis priora Sæcula metitur. nam tota ejus disceptatio ex Antiquitatis Neglectu Nascitur, dum Veteres ad posteriores Scriptores quasi obtorto collo trahit, non autem Veterum mentem ex seculi cujusque genio ac more explicat, sic ipse itaque ratiocinari cogitur. Sæculo 6.° labente et sequenti ævo nempe Græculorum Evagrii, Malelæ, Anonymi chronographi Alexandrini Menses Antiochenorum julianis prorsus æquati erant (priscis eorum mensibus antiquatis) annusque incipiebat a Calendis septembr. more Constantinopolitano, quo die indictiones multiplicabantur. Ergo ævo juliani et prius a tempore julii Cæsaris Antiocheni annum inceperant a Kal. Septembr. et menses julianos usu adhibuerunt. a pari sic argumentum conficio temporibus Epiphanii ac Macrobii sæculo Christi labente 4.° et ineunte 5.° Athenienses annum auspicabantur, ut jam demonstravimus a Kalendis Septembribus et menses julianos adhibebant, Ergo ante Constantinum Athenienses annum non sunt auspicati a Solstitio æstivo, lunaresque Menses apud ipsos nequaquam usitati erant. absurda ratiocinatio. sed Norisius si disparitatem afferre possit, Erit mihi Magnus Apollo. jure merito itaque pag. 209 hæc effatur Criticus: hæreo, fateor, ad aquas, nescius qua mihi vadum tentandum. nullum sane reperiet ubi non immergatur, nisi viæ duces suos cæcos deserat, Malelam Evagrium &c qui in Patrum suorum antiquitatibus cæcutiebant, nec scriptores Arabes et Persæ ut Albategnius, Alfraganus et Ulugbeig ipsi tutum vadum indicare potuerunt. Si Norisius variorum sæculorum varios usus fuisse perpendisset, non sollicitasset lectionem Hieronymi Comm. in Cap. 8. Ezechielis, nullius manuscripti libri autoritate fultus

aut Antiqui Scriptoris qui Hieronymum laudaverit et Clarissimi nostri Critici Emendationem
probare potuerit. dixerat Propheta et introduxit me per ostium portæ domus Domini
quod respiciebat ad Aquilonem, et ecce ibi mulieres sedentes plangentes adonidem, ad
hæc Hieronym. quem nos adonidem interpretati sumus, et Hebræus et Syrus Sermo Tam-
muz vocat, unde quia juxta gentilem fabulam in mense junio Amasius Veneris et pul-
cherrimus juvenis occisus sit et deinceps revixisse narratur, eundem junium Mensem
eodem appellant Nomine, et anniversariam ei Celebrant Solemnitatem, in qua plangitur
a Mulieribus quasi mortuus et postea revivisens Canitur et laudatur. Verum, inquit
Norisius p. 203. et 204. apud Hieronymum pro junio julium Mensem reponendum ipse-
met S. Doctor ostendit, dum ait Eundem Mensem ab Adonide nuncupatum, nam Syri
Mensem Julium Vocabant Tamuz, Junium vero Haziran, ut Ex Albategnio, Vlug
bego ac Josepho Ægyptio intelligimus. præclaros sane Norisius testes adducit, ut Veteres
hebræorum et Syrorum Tammuz plangentium mores Explicet, hujusque festi indaget
tempus. Mensis Tammuz hebræorum sicut et Vetustiorum Syrorum Ante Macedonas
fuit lunaris, majorem partem junii Romani occupabat, unde Solstitium Æstivum
quod Mense junio Contingit appellatur ab omnibus judæis Vetustioribus et recentioribus
Tekuphhat Thammus. Thalmudicos solos adducam testes tract. Schabbath f. 3. 1.
Jonæ Asinus etiam in בתקופת תמוז Solstitio Æstivo frigus sentit, sic vulgo Veteres
ita Cum Mensibus julianis judaicos Comparabant, ut Tisri Septembri, Nisan Mar-
tio, Tammuz junio responderet, in tractatu Veteri de Mensibus apud Henricum
— Stephanum p. 226 to. 4. Thesauri hæc habentur. ὀνόματα μηνῶν κατὰ ἰουδαίους
Τίσερι Σεπτέμβριος. Μαρχαβονὰν ὁ Ὀκτώβριος. Κίσθλευ ὁ Νοέμβριος. Τηβὴθ
ὁ Δεκέμβριος. Σιβὰθ ὁ Ιανουάριος. Ἄδαρ ὁ Φεβρουάριος. Νίσαν ὁ Μάρτιος. Ἰαρ ὁ
Ἀπρίλλιος. Σίβαν ὁ Μάιος. Ταμοὺζ ὁ Ἰούνιος. Ἀβ ὁ Ἰούλιος. Ἐλοὺλ ὁ Αὔγουστος. hac
ratione plerique Scriptores Ecclesiastici et inter hos Gregorius Turonensis Anni Ec-
clesiastici nempe primum Mensem Constituunt Martium, quia Nisan Judæorum
Cum Mense Martio Componebant. alii etiam ut Beda lib. de ratione temporum
Comparant Aprilem Cum Nisan. Mensis enim judaicus iste lunaris vagus in utrumque
incidebat mensem Julianum Solarem. Sed Judæorum Magistri sæpius Componebant
Nisan Cum Martio quam Cum Aprili et Tammuz Cum Junio quam Cum Julio. Sol-
stitium enim Æstivum quod Mensi Junio affixum est Nunquam Vocarent Tekuphat
Sivan Sed Tekuphath Thammuz. immediate autem post Solstitium Æstivum
adonia in Syria Et Phœnice, ut jam Notavit Valesius in Notis ad Amm. Marcellinum
Mense junio Romano labente Celebrabantur. præterea agebantur hæc festa Mense
Tammuz seu Panemo Syro Macedonico ineunte qui incipiebat teste Euthalio Diacono



die 24 Mensis Junii Romani Juliani.

Objicit tamen Norisius Julianum adhuc Constantinopoli substitisse 4 idus Maii, cum dedit legem 4 de Medicis lib. 13. Cod. Theodos. Constantinopoli Nevitta et Mamertino Coss. distabat, inquit Norisius, Constantinopolis Antiochia ex itinerario Antonini M.P. MDCCCXVI Julianicis veraciter per Bithyniam ac Phrygiam faciens aliquot sibi inde dies in præcipuis urbibus subsistebat, ut Deorum præsertim templa inviseret, quod ipsum colligitur ex Libanii Epistola ad Sopatrum 22. lib. 1. ac ejusdem Oratione de Consulatu Juliani. Sed ex Libanio non aperte evincitur quod intendit Norisius. | Amm. vero Marcellinus ipsi non favet in relatione itineris Juliani quæ habetur cap. 9 lib. 22. Antiochiam, inquit Ammianus, ire contendens Julianus reliquit C.Polim. transgressus itaque fretum, prætervecta Chalcedone et Lybissa (nota) inde Nicomediam venit. per Nicæam venit ad Gallo græciæ fines unde dextrorsus itinere declinato Pessinunta convertit. (Libanius in orat. Consulatus p. 247 τῆς εὐθείας ὁδοῦ τοσοῦτον ἐκβαίνων εἰς Φρυγίαν ἐλθὼν. declinavit Julianus a recta et regia via saltem hac vice) sed ut ait Marcellinus cap. citato, venerato numine hostiisque litato et votis Ancipam redit, cumque exinde egredientem multitudo inquietabat... itineribus itaque emensis cum ad Pylas venisset, qui locus Cappadocas discernit et Cilicas rectorem Provinciæ Celsum... sursum secum induxit. at hinc videre properans Antiochiam Orientis apicem pulchrum usus itineribus solitis venit. | Si Marcellino fidem adhibeamus Julianum fere nullibi censebimus substitisse in Bithynia, Phrygia, Cappadocia et Cilicia, unde potuit facillime intra dies 45 Constantinopoli Antiochiam pervenire labente junio. et nequaquam recte sic concludit Norisius. | quare alterâ Julii mensis parte labente Antiochiam pervenit immediate post solstitium, cum ab hemisphærio nostro recedere incipit sol, adonia in Syria agebantur. Evenerat autem, inquit Ammianus iisdem diebus quibus primum ingressus est Antiochiam Julianus annuo cursu completo Adonia ritu vetere celebrari amato Veneris, ut fabulæ fingunt apri dente ferali deleto, quod in adulto flore sectarum est indicium florum. | Vicina his omnibus ab Ammiano relatis tradit Hieron. in cap. 8. Ezechiel. quia ait Hieron. Eadem Gentilitas hujuscemodi fabulas poetarum quæ habent turpitudinem, interpretantur subtiliter interfectionem et resurrectionem adonidis planctu et gaudio prosequens: quorum alterum in seminibus quæ moriuntur in terrâ, alterum in segetibus quibus mortua semina renascuntur ostendi putat. | eodem itaque tempore in Syriâ planctus et Euresis (inventio) celebrantur, quod testatur Lucianus seu alius vetustissimus scriptor tract. de Dea Syra Edit. Par. op. Luciani pag. 1058. his verbis: porro et Bybli vidi templum Magnum

Veneris

Veneris Byblicæ Cognomento, inquo et ritus quosdam in Adonidem peragunt, Cognovi autem et ipse ritus eos. dicunt igitur factum illud quo ab Apro percussus Adonis fuit in sua terra (Phænicia) Contigisse, et in Memoriam rei Verberantur Annis singulis et lamentantur et ritus solemnes peragunt, ac ipsis magni adeo luctus per totam regionem (Syriam et Phæniciam) inducuntur. postquam autem jam Verberandi ac deplorandi finis factus est, principio quidem inferias Adonidi peragunt perinde ac mortuo tum existenti, postea a sequenti die vivere ipsum dictitant} idem testatur loco mox ame citato Hieron. qui superius asseruerat Mense Junio Anniversariam Adonidi Celebratam fuisse festivitatem, in qua plangebatur a Mulieribus quasi Mortuus, et postea revivisceus Canebatur ac laudabatur. itaque optime et apposite hieronymus Mensem Tamuz judaicum qui partim incidebat in Junium partim in julium cumde Adonis agereatur Composuit Cum Junio. hoc enim Mense ante Kalendas julias agebatur hoc festum. Nisan autem Vaqum et lunare modo Patres et ecclesiastici scriptores Comparant Cum Martio, modo Cum Aprili, Nec sandem semper formam servant} Sic hieron. lib. 1. Comm. in Zachar. Comparat Mensem judaicum ~~Cum~~ Marchesuan Cum Ægyptio Athyr et Romano Novembri, et alibi Sabat Cum Perithio et februario. sed non Miror Hieronymum qui Ex diversis scriptoribus varia Excerpens in Commentarios suos refert et Coacervat, licet inter se pugnantia. pari ratione Epiphanius, ut jam probavimus Annum Atticum Novum et Julianis Mensibus Constantem modo a septemb. modo ab Octobri inchoat, non Æquo jure Valesium reprehendit Norisius quod labente Junio Julianum Venisse Antiochiam asseruerit, dum ibidem adonia Celebrabantur. septem jam Mensibus in hac urbe subtiterat, imperator iste Cum Misopogonem edidit. Sic enim ipse Conquerentes inducit Antiochenos p. 66. Urbem Nostram perdidisti, adeo ut nihil boni a te percipiamus. o desam istam severitatem ἀνεχόμενοι μῆνα ἕβδομον τοῦτον perpessi septimum hunc mensem. Currebat itaque septimus Mensis ab adventu juliani Cum haec scriberet; unde Colligebat Valesius Misopogonem Mense januario Editum fuisse. sed hoc displicet Eruditissimo Norisio disputat quo p. 204 et 205 hunc librum scriptum fuisse sub Exitum februarii paucos ante dies quam Julianus antiochia hierapolim pergeret. ille vero 3. Nonas Martias profectus Hierapolim Venisse dicitur Marcellino l. 23. C. 2. hanc inquam satyram tunc Edidisse cum ad bellum persicum prope diem profecturus esset. Colligit Norisius Ex Ejusdem Verbis in Misopogone p. 101 Migrare Ex hac urbe statui ac discedere, itemque ad aliam gentem et populum Me Confero, sed Ex his Verbis nihil Concludere

possumus, nec video quomodo expiscari exinde possit Vir eruditissimus adhuc post editum Misopogonem mense februario integro Julianum morari non potuisse usque ad mensem Martium Antiochiæ, at his verbis Julianus minatur tantum Antiochenis se nunquam in eorum urbem reversurum esse postquam inde discesserit et ad persicam expeditionem fuerit profectus. Verum, inquit ipse p. 103. posteaquam barbæ prolixitas, comæ neglectio, odium spectaculorum, studium gravitatis in templis conservandæ, cura æquitatis in judiciis tuendæ, summum avaritiæ foro pellendæ desiderium vos in me tantopere commovet. Cedam urbe perlibenter. ἔχοντες ὑμῖν ἐξιστάμεθα τῆς πόλεως. non amplius, inquam, hic commorabor nec stativa habebo hyberna. istas Juliani minas pertimescentes Antiocheni eum delinire tentarunt, cumque ait Ammianus l. 23. c. 2 eum profecturum deduceret multitudo promiscua, itum felicem reditumque gloriosum exoptans, oransque ut deinde placabilis esset et lenior. nondum ira quam ex compellationibus et probris conceperat emollita loquebatur asperius se esse eos asserens postea non visurum. disposuisse enim aiebat hiemandi gratia per compendiariam viam consummato procinctu Tarsum Ciliciæ reversurum. id autem responsum, ut notat Valesius in Notis ad Ammian. Curialibus Antiochenis a Juliano datum est in mansione I.ma quæ Litharbis dicebatur, ut testatur Julianus in Ep. 27. ad Libanium his verbis. Vix tandem ad primum diversorium pervenimus, quod fuit fere hora 9 cum ecce senatus vestri Antiocheni maxima pars ad nos venit, ac tibi quæ simus inter nos collocuti fortasse accepisti. Minas Juliani ut averterent Antiochenses eorum rogatus, Libanius orationem ad Julianum scripsit quæ πρεσβευτικὸς seu legatio inscribitur, qua veniam pro civibus suppliciter petit, orat ne Imperator solita hybernacula dimittat, neve apud Tarsenses homines longe petulantissimos hyemare velit, ex quibus emendari debet vitiosa interpunctio horum verborum Libanii de vita sua p. 44. προπεμπούσης δὲ τῆς βουλῆς, καὶ δεομένων ἀφεῖσθαι τὰ ἐγκλήματα Ταρσοῖς. πόλει Κιλίκων δώσειν αὐτὸν εἰπών, ἣν ὁ θεὸς ἀποσώζῃ. hæc inquam interpunctio interpretem Morellium in errorem induxit vertit enim: porro præmissis è senatu qui precarentur ut Tarsensibus dimitterentur crimina, dixit se concessurum urbi Cilicum, si Deus ipsam servaret. sed Julianus Tarsensibus iratus non erat, qui hyemare apud ipsos intendebat, sed Antiochensibus quibus placari renuit; interpungendum itaque hoc modo: δεομένων ἀφεῖσθαι τὰ ἐγκλήματα, Ταρσοῖς πόλει Κιλίκων, δώσειν αὐτὸν εἰπών (emenda χειμάσειν αὐτὸν εἶπεν senatoribus Antiochenorum veniam criminum deprecantibus, Tarsi urbi Cilicum se hyematurum respondit. et ut Ammianus habet hyemandi gratia Tarsum Ciliciæ reversurum.) Libanius vero

ut Julianum Avertat ab hoc Consilio, ait in legatione περὶ δὲ Ταρσέων ὦ βασιλεῦ πῶς ἔχεις de Tarsensibus, Imperator, quam opinionem habes? nemo rusticius quam illi loquuntur. et quodnam Oraculum adstipulatur? quid Ergo si Exciderel dictum aliquod fabrorum ærariorum aut Coriariorum. aliamne Civitatem quæres atque iterum aliam? et penes subditos Erit, ubi te in Hybernis degere oporteat ποῦ δεῖ σε χειμάζειν. Cum itaque Julianus ait. hanc urbem desero, intelligit tantum se nunquam postea in ea Hybernaturum, prout mos hactenus fuerat prædecessoribus suis imperatoribus dum bellum adversus Persas gererent.

Urget Norisius et iterum probare nititur Misopogonem Scriptum fuisse labente mense februario. hoc enim Mense, inquit p. 204 adhuc vivebat Julianus Comes Orientis. jam vero Julianus in Misopogone p. 103. ait: duos tresve Domi apud me habeo imo quatuor, ac si quintum etiam vultis, id est Avunculus meus Julianus eodem Mecum Nomine qui vobis præfuit æquissime (antiochenis, Comes enim eral Orientis) quandiu ei Dii dederunt una nobiscum esse, unaque rempublicam administrare. | Julianus Comes palam mortuus designatur, quo tempore Julianus Ejusdem Comitis sororis filius Misopogonem Composuit. hoc verum esse fateor. sed quid inde? Extat, inquit Multoties laudatus Norisius, lib. 8. cod. justin. Juliani lex 12 de Exceptionibus ad Julianum Comitem Orientis quæ signatur Dat. 7. idus Martias Antiochiæ Juliano Augusto 4. et Sallustio Coss. (anno 363 æræ xti quo periit julianus Apostata) Constat Ex Ammiano lib. 23. c. 7 Julianum Comitem Orientis obiisse Antequam Imperator Antiochia Exiisset, atque hic die 5. Martii Cum Hierapolim profectus fuerit. Mendum in Notam temporis Emissi rescripti irrepsit, levique emendatione 7. id. februar. legendum est. itaque Mense ineunte februario adhuc vivebat Julianus Comes orientis. ita Norisius. Papæ! quam levis est emendatio Critici Nostri, qui pro Martio reponit februarium. quis sibi persuadere poterit vocem Martias aliquam affinitatem habere Cum februarias imo levis Ma- viri Clariss. Emendatio levissimi est ponderis, sed an vox Januarias magis distat à Martias quam februarias, nequaquam. emendabo Ego si mihi placuerit 7. id. Januar. qua ratione probare poterit Norisius Julianum Comitem adhuc superstitem fuisse post 7. id. Januar. nulla omnino. sed nihil mutandum in his vocibus 7. id. Martias. | Doctissimus Gothofredus multoties in Cod. Theodos. notavit pro hac littera D seu litteris DAT. quæ in fine legum Exaratæ sunt legendum vel intelligendum esse modo propos. id est proposita, modo recept. modo accepta vel reddita. hic legendum proposita Antiochiæ 7. id. Martias lex data fuerat Comiti juliano acerbissimo morbo Cruciato tunc temporis. non itaque statim proposita fuit Antiochiæ sed Curante Ejus successore id fuit peractum post discessum Juliani Augusti 7. id. Martias

Cæterum Norisius ad probandum Imp. Julianum Mensium Macedonicorum formam ignorasse afferre potuisset ex orat. 4. p. 289 hæc verba, Cum Cæteri omnes ut uno dicam verbo, populi Menses ad lunæ cursum accommodent, nos soli (Romani)

83 Cum Ægyptiis μόνοι δ' ἡμεῖς καὶ αἰγύπτιοι πρὸς τὰς ἡλίου κινήσεις ad Solares circuitus annorum dies metimur. Certe qui hanc edidit Orationem ignorabat Macedonas Asianos et Syro-Macedonas annum et menses ad Solis circuitum esse metitos ævo suo, quod Juliani ævum fuit. nam se Jamblichi auditorem fuisse testatur autor hujus orationis, sed iste procul dubio non fuit Julianus qui Constantinopoli natus est in Asia minori educatus usque ad annum 23 ætatis suæ, imo qui Maximo præceptore diu in urbe Ephesi usus est, et qui diutius moratus est Pergami ut Ædesium docentem audiret (utrumque autem testatur Eunapius in vita Maximi) Julianus inquam ille Asianos et Macedonas usos esse mensibus Solaribus annumque ad Cursum Solarem metitos esse nequaquam ignorare potuit. Julianus Augustus Byzantii natus se Thracem fuisse tradit, non Romanum aut Græcum in Misopog. p. 106. ac primum vos (Julianus Antiochenos alloquitur) laudabam ... quod et vos genere Græci essetis, ego vero etsi Thrax origine, attamen vita et sacris Græcus essem. Sic autem antea Antiochenos loquentes induxerat p. 78. isto autem pacto carnes ovillas aut suillas non cum voluptate comedi, quod tu leguminibus vesceveris, beneque reipublicæ consulere existimasti et Thracibus tuis leges dare νομοθετεῖν τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις idcirco, ut scribit Ammianus lib. 22. c. 9 Julianus reliquit Constantinopolim incrementis maximis fultam, natus enim illic diligebat eam ut genitalem Patriam genus vero suum idem Imperator referebat ad Mysos Istro vicinos p. 74. ὑπ' αὐταῖς ἵσταται ἠϊόσι Μυσοῖς ὅθεν δὴ καὶ τὸ γένος ἐστί μοι πᾶν ἀγροικόν Mysia enim oriundus erat Constantius Chlorus Juliani avus. at autor orationis de Sole se Romanum Romæ commorantem profitetur non uno in loco. p. 287. quod ad nos attinet privatim hic nostræ civitatis auctor est ac Conditor, quamobrem non in arce tantum illius habitat (Capitolio) cum Minerva et Venere parens omnium celebratus Jupiter, sed in Colle Palatino etiam Apollo residet. Communis ac nota omnibus appellatio. quod autem ad illum præcipue et nos Romulidæ et Æneadæ pertineamus, pauca de multis indicia proferam, etenim venere, ut aiunt matre natus est Æneas, quæ quidem administra Solis est et cognata, tum urbis nostræ Conditorem ipsum Martis filium fuisse <u>fama commendavit.</u> hanc autem lucubrationem edidit scriptor iste trium maxime noctium spatio, cum festum Solis Romæ agebatur circa Solstitium hybernum. age itaque, sic Sallustium amicum alloquitur p. 246 festum illius quod σεβάζεται πόλις Roma anniversariis sacrificiis ἀγάλλει ornat, celebremus quomodo possumus et p. 291 hæc ait, quæ Juliano qui natus est Constantinopoli et nunquam Romam vidit non conveniunt. Majores nostri jam tum a divinissimo illo rege Numa præsenti tempestati ἐν τῇ παρούσῃ (scribebat iste autor noster Solstitialibus diebus, migrari caput anni consentanée jusserunt, quando Rex Sol extremo meridiano limite derelicto rursus ad nos revertitur et ad Capricornum &c. at Constantinopoli, ubi natus est Julianus annus inchoabatur a Septembri. idem Auctor nonne

Patriam suam agnoscit Romam, cum ait p. 288. Si igitur... demonstrem Conditorem Urbis Nostræ Romulum non ab Marte solo prodiisse, sed ut ad corporis fabricationem nonnihil fortasse contulerit Dæmon iste Martius ac generosus qui ad Sylviam lavacra Deæ portantem accessisse dicitur. attamen Quirini Dei anima... e sole descendit, et p. seq. hæc habet: ita perspicue terrenorum opifex Dea subipsum penitus subjecta solem quirinum Nostrum excepit; et ibid iterum ait: æternam ecce flammam de sole conceptam sacræ apud nos Virgines pro variis anni temporibus eo quo idipsum præstant, quod circa terras efficit luna, ut ignem a sole susceptum custodiant.) apud nos, inquit, i.e. Romæ, ubi sacer ignis a Vestalibus asservabatur. Nec obstat auctorem hujus orationis sic precari solem p. 294. hæc igitur et alia concedat, quæ paulo ante sum precatus, in commune vero Nostræ huic urbi, quantum assequi licet, æternitatem conferat, ac benevolo animo conservet. nobis ipsis denique tribuat, ut quod ad humana divinaque pertinet, quandiu vita suppetet εὐπράξαι felices simus, vivamus autem et conversari in vita concedat tantum quantum et ipsi jucundum erit et utilius nobis et Romanæ reipublicæ fructuosum.) sed hoc votum omnibus senatoribus consularibus et magistratibus convenit, nullibi de principem et imperatorem fuisse designat auctor iste privatus, scribit Sallustio privato amicus familiaris amico his verbis p. laudata 294. quantum memoria mihi suggerebat ausus sum ad te scribere quando et alterum illud quod in saturnalia commentatus eram non tibi absurdum omnino videbatur. Denique cum Julianus qui nunquam Romæ commoratus est, anni Romani formam exacte didicisset, formam vero anni Provinciarum Thraciæ Bithyniæ et Asiæ ubi natus vel educatus est vixitque ad annum ætatis 23 ignorasset. Excepti Judæis nulli Orientalis Imperii incolæ Juliani ævo anni lunaris formam observarunt.) igitur qui hanc orationem concinnavit, ut mos non paucis Romanis fuit, Græce Romæ scripsit, nunquam autem in orientem profectus erat ritusque civitatum Asiæ nesciebat. solos noverat Athenienses et alios Græcos Italiæ viciniores, qui annum non ad solis, sed ad lunæ cursum metiebantur. sed huic italo ignoscendus est error iste. nam Galenus Comm. in C. 4. Epidemic. Hippocratis, anni Romani formam exponens asserit mensem Martium seu a solstitio tertium quolibet quadriennio intercalationem suscipere, ita ut constet tunc non diebus 31 sed 32. stupendus error iste est, sed Græci, cum de exteris loquuntur sæpissime hallucinantur. non etiam aliquis asserere poterit Julianum antequam Imperator creatus esset hanc privatum suscepisse orationem. istius enim auctor aperte se paganum profitetur statim ab initio his verbis:)etenim Regis sum solis assectator et famulus; ipsum autem solem summum Deum et Deorum omnium parentem agnoscit p. 293. postquam, inquit, cœlum sol tot replevit Diis quot in sese intelligibili more complectitur, circum ipsum absque

85 ulla divisione multiplicatos et cum eo singulariter conjunctos. Sed Julianus antequam Imperator esset Christianum se fingebat, proculque aberat ut Apostasiam suam opusculo edito vulgaret, nec tunc solem summum Deum cognoscebat, sed occulte (ait Marcellinus) Mercurio supplicabat, utque omnes nullo impediente ad sui favorem alliceret, adhaerere cultui Christiano fingebat, aquo jampridem desciverat, arcanorum participibus paucis aruspicinae augurioque intentus et caeteris quae Deorum semper fecere cultores, et ut haec interim celarentur feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit. Scio Eustathium in 1. lib. Iliados Parabatae hanc orationem tribuere, sed Eustathio licet litterato viro tamen fidem denegare non inique possumus, eo quod annis 800 ab obitu Juliani floruerit.

Ut tandem finem imponam huic de Juliani Augusti testimonio disceptationi ultimo Norisii argumento reponendum est. Contendit Julianum dum inquit Λῷον οἶμαι τὸν ὑμεῖς προσαγορεύετε et ut interpres vertit, is, opinor, Lous a vobis nominatur, haud sibi compertum esse significare quo nomine Antiochiae mensis ille decimus vocaretur. at nihili est haec objectio. nam οἶμαι non semper est dubitandi dictio, imo, ut notat Budaeus Comm. p. 397. interdum ipsum οἶμαι παρέλκει apud Demosthenem pro utique, nimirum, ut καὶ τὰ τοιαῦτα ἄδηλα ἐστιν οἶμαι καὶ λαμπρά | Cicero in Verrem act. 4. pueri autem Sizennae, credo qui audivissent, quae inis hinc testimonia essent dicta, oculos de isto nunquam dejicere, pro nimirum qui audivissent. et pro Roscio Amerino. Credo quod propterea quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in iis operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur, pro utique. | sic οἴσι apud Platonem interdum ἄχον invenitur ut lib. 6 de republica. Ἀνόνητα δὲ πονῶν οὐκ οἴσι ἀναγκασθήσεται τελευτῶν αὐτόν τε μισεῖν inutiles labores nonnes cogetur moriens odio habere? ipse julianus hac dictione utitur non dubitando et in eodem Misop. p. 98. πρέπειν δὲ οἶμαι τῇ πόλει θύειν ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ urbi Antiochenae decenseat publice et privatim sacrificare. quis hic dubitando julianum locutum esse asserere ausit? et p. 68. Κάλλιον ἦ ἐστιν, οἶμαι μηδ᾽ ἐκείνους κολακεύειν ἀλλὰ θεραπεύειν interpres sic vertit cum longe melius esset ne dios quidem ipsis adulari sed colere &c. hic dictio οἶμαι nequaquam dubitandi dicta est quam non male interpres omisit. Sed jam contra Norisium satis superque disputavimus. anxius enim paradoxa sua tradit, unde quasi ipsum disceptationis suae jam paeniteret ait: Si cui piam tamen difficile videatur principi malaeque demum fidei sed multae eruditionis anni ac Syro Macedonibus usurpati insitam affingere cum et plures menses Antiochiae degerit, ac Libanio ejusdem urbis cive familiariter usus fuerit, is pedme licet ad eruditissimi Loydi de Saevo eoque a civili distincto anno Antiochenorum sententiam accedat, si nihil interim probabilius occurrat. at opinationem istam quamvis studio et doctrina praestantissimus Loydius in privatis litteris ad amicum, ut autumabat, scriptis dubitando forsan non asserendo proposuit ~~[illegible]~~ an injuria Norisius inconsulto et ni fallor reniente clarissimo scriptore propalam orbi litterario

posuerit, ipsemet videri. | Egoquidem eandem opinionem tribuere Norisio, iniquum esse prorsus duco. Verum in hanc sententiam quam probabilem esse dixit Norisius inquirere operæ pretium me facturum existimo. probabile, inquam, censet eximius iste Criticus Antiochenos præter annos civiles quos rerum Dominos Romanos secuti juxta julianã anni correctionem methodumque admiserant, annos etiam sacros servasse, ita tamen ut annos civiles juxta Evagrium ab ineunte Gorpiæo auspicarentur, at sacrorum initium a Mense Dio colligerent. | supponitur indictionum a Kal. Sept. incipientium auctorem fuisse Julium Cæsarem apud Antiochenos, qui idcirco annum civilem non solum inchoarunt a Kal. Septemb. sed etiam receperunt menses julianos nominibus tamen Syro Macedonicis appellatos. hæc de origine indictionum apud Antiochenos opinio quæ Scaligerum olim patronum habuit, quam maxime falsam esse censet Norisius, eamque se fusius aliquando confutaturum esse promittit. ergo ipsi nequaquam opinio illa quam probabilem habuit placere debet. arbitratur sententiæ ejusdem defensor Antiochenos aliosque Syros ita annum solarem a Julio Cæsare ordinatum admisisse ut simul tamen veterem annum sacrum retinuerint, quo avito ritu juxta avita Pontificum Calendaria annua Deorum sacra peragerent. quare cum Antiocheni annum sacrum veteri Macedonum instituto a Dio inirent, decimo ejusdem anni sacri mense Loo solemnia Apollinaria, uti testatur Julianus, celebrabant. sed nihil constantissime dicitur vel a Norisio vel ab aliis. nam ipsis incumbebat onus probandi ex primævæ antiquitatis monumentis, non ex Græculorum scriptis Antiochenos auspicatos esse annum civilem a Kalendis Septembribus diversum a sacro post Julium Cæsarem et usque ad Constantinum. sed id nullo pacto præstabunt. conjecturas afferunt. aiunt hoc modo Hebræos annum civilem a Neomenia Tisri, sacrum vero a prima die Nisan inchoasse. fateor, et supra originem hujus duplicis anni explicui. sed si fictitia est origo indictionum a Kal. Sept. institutarum a Julio Cæsare apud Antiochenos, ut definit Norisius, vana prorsus erit comparatio inter Hebræos et Antiochenos. subjiciunt Ægyptios quoque annos sacros habuisse quos ex diebus 365 sine reliquo quadrante componebant, unde cum quarto quoque anno non intercalarent, singulis quadrienniis festo Deorum uno die anticipabantur, de his ita scribente Gemino cap. de mensibus: Student enim sacra Deorum non iisdem anni temporibus repræsentare, sed ea ipsa omnes anni tempestates peragrare voluerunt &c. | Miror Geminum ad testimonium de Ægyptiorum moribus fuisse citatum. Geminus enim vixit, ut notat Petavius in præfatione tomi 3i de Doctr. temp. ævo Syllæ et Ciceronis. Cum unicus erat Ægyptiis annus civilis et sacer ante admissos annos augustæos et actiacos, ante correctionem anni Romani, cujus autor fuit Julius Cæsar, nec duplicis anni civilis et sacri apud Ægyptios recepti meminit laudatus Geminus, quin imo unicum annum vagum scilicet usu in Ægypto ævo suo

87 adhibitum fuisse statuit, ita ut scriptoristae quem Patroni sententiae quam ad Examen revocamus testem adhibent ipsos refellere possit. illi mores Aegyptiorum non favent, imo nocent plurimum.| unicus enim apud Aegyptios fuit annus civilis et sacer, post antiquatam anni vagi et prisci formam sub Augusto Caesare; nam ut notat Eruditissimus ille Anglus Seldenus Syntag. II. de Diis Syris cap. 2. mors adonidis quam ἀφανισμὸν appellabant et reditus quem εὕρεσιν uno eodemque mense Aegyptii celebrabantur, et semel quotannis mense nempe Athyr, qui post annum Nabonassareum ab Augusto fixum in Novembrem julianum incidit. eundem enim Osiridem et Adonim intelligunt omnes. mortem autem Osiridis et reditum item eodem tempore celebrata scriptum reliquit.| Plutarchus et vetus Romanorum Kalendarium rusticum in Marmore quadrato sculptum apud Gruterum pag. 138. in Novembri festum heuresin habet repertum Adonim sive Osiridem denotans et ab Aegyptiorum moribus propagatum.| Athyr Aegyptiorum fixus, procul, ut vides, abest ab hebraeorum mense Thammuz i.e. junio in quo luctus et εὕρεσις. ita certe videtur τὸ Thammuz. nec tamen impingat annorum quis imperitus, quasi ob festorum apud Gentes distantiam tamque diversa tempora, planctus Aegyptiorum dum Osiridem inveniebant, lamentaque judaeorum nihil omnino commune haberent. alias refert. in Anno enim vago Aegyptiorum nullum erat festum, nullus mensis, ut docti sciunt, qui non unumquemque mensem julianum verum et diem totius anni pertransibat in Magna illa 1460 Annorum periodo.| postquam autem figeretur ab Augusto Annus, festa sua unusquisque mensium retinuit ea serie, ea anni tempestate qua tunc erant peragenda hucusque Seldenus. quibus addimus Plutarchum lib. de Osiride et Iside asserere aegyptios planctum Osiridis celebrasse mense Athyr, quem comparat ~~[illegible]~~ mensi juliano attico Pyanepsioni seu Novembri. additque Graecos et Aegyptios multa communia habuisse circa sacra, unoque et eodem tempore planxisse et jejunasse, quod a vero quam longissime ~~aberas~~ aberrasset, si hunc sacri Anni perpetuo vagi Aegyptii rationem habuissent| igitur post Augustum ipsi festum illud celebrabant mense Athyr fixo qui componi poterat cum attico Pyanepsione. iste enim partim in Octobrem, partim in Novembrem incidebat, sed Plutarchus hic, ut opinor, Pyanepsionem aequat Novembri. nam ipse, ut supra demonstravimus, plerumque atticos menses coaequat julianis fixis et solaribus. Romanos vero ut patet ex Calendario edito ab Heruvarto et altero a Bucherio Isiaca ineunte Novembri seu Athyrachiaco peregisse liquet. duplex igitur iste annus apud Aegyptios unus vagus, alter fixus et civilis fictitius erat. post mutationem enim cujus Augustus Caesar auctor fuit soli Astronomi Annum Nabonassari et vagum usu adhibuerunt.

Non ea tamen inficias duplicem apud Antiochenos anni formam receptam post julium Caesarem, seduna peculiaris et propria ipsis erat, altera vero victoribus et Dominis Romanis.

Antiocheni saltem nominibus suis Macedonicis Menses julianos nominabant, quorum primus erat Januarius Syro Macedonice Audynæus vocatus. at Syro Macedonici Menses diebus sex vel septem antevertebant Julianos. Constat enim testimonio Epiphanii lib. de Pond. et Mensuris. ubi agit de die Emortuali Valentiniani 2.i imperatoris Mensem Artemisium Cœpisse die 24 Aprilis (Euthalius etiam Diaconus docet nos Syro Macedonicum Panemum Cœpisse die 25 Junii. tertiam anni formam ab Antiochensibus admissam fuisse apud veteres et probatos scriptores non legimus, imo Antiochiæ duplices tantum anni Kalendas, et idcirco duplicem annum usitatum fuisse ævo juliani Augusti Ex Misopogone probamus) a Mense enim julio ad initium Martii imperator iste subsistit Antiochiæ, ubi omnia festa Deorum et anni Kalendas Celebravit, sacrificia quæ tunc obtulit, nullam omisit solemnitatem, attamen ἡ Σύρων ἧκει Νεομηνία unica nempe x, ὁ Καῖσαρ αὖθις εἰς φιλίου Διὸς ineunte nempe Mense Dio Jovi sacro Kalendas anni Antiocheni Celebravit εἶτα πάγκοινος ἑορτὴ anni Romani Neomenia seu Kalendæ Januariæ venerunt, has iterum solemniter peregit. duplicem tantum ἔτους Νεομηνίας receptam Antiochiæ agnoscit Julianus, agnoscunt item ipsimet Antiocheni quos seipsum irridentes introducit Julianus. nulla alia itaque Νεομηνία ἔτους agnoscenda, nulla tertia anni forma ab aliis distincta admittenda est apud veteres Antiochenses. at ipsi sæculo saltem 5.o ut Constantinopolitanæ urbis civitatum Reginæ mores sequerentur annum novum inceperunt Kal. Septembribus quo die indictiones jam ubique receptæ multiplicabantur, imo apud Syros nonnullos, ut supra probatum est, Æra Seleucidarum seu ab Alexandro incœpta est a Kal. Septemb. non ab Æquinoctio Autumnali aut a Kal. Octobr. si vero quivis ex hoc more Syrorum sequioris ævi Kal. Sept. Caput Æræ Seleucidarum secundum veterum morem refigere vellet nonne se deridendum propinaret Eruditis omnibus. qua ratione igitur ex usu recepto, ævo Evagrii, Malelæ, Consarcinatoris farraginis Alexandrinæ, Albategnii et aliorum scriptorum Arabum mores priscorum Antiochenorum etiam sub juliano Apostata Metiri tentabimus? Cum autem sæculo labente 6.o et sequenti jam ab annis 200 cultus idolorum falsorum que Deorum Antiochiæ fuisset abolitus, templis in omnibus Syriæ Provinciis jussu Theodosii et Arcadii funditus eversis, nil mirum quod Memoria prisci anni Antiocheni fuerit tunc prorsus oblitterata. Annus enim iste cum ejusdem Mensibus et diebus dicatus erat festis profanis Ethnicorum ludisque et sacrificiis, at recepta ab omnibus Christiana religione, nullius usus fuit ista forma anni, qui apud Gentiles tum sacer tum Civilis fuerat, inchoabatur que a Mense Dio Jovi sacro, cujus Neomenia Celebrabatur in templo Jovis Philii Διὸς φιλίου. Nec quis absurdum existimet Antiochenos annum fuisse auspicatos a Mense Dio Syro Macedonico sub finem Mensis 8.bris Juliani. Nam eodem tempore et ab ejusdem fere Mensis 8.bris die Gazenses annum inchoasse luculento testimonio docet nos Marcus in vita Porphyrii Episcopi Gazensis, ut vidit Usserius et post eum Norisius) Gazenses autem illos Eruditissimus Norisius vult vocatos proprie et absolute Syro Macedones p. 405 operis de Epochis et licet Clariss. scriptor fingat Cum Scaligero

89 eosdem Gazenses formam anni actiacam admisisse, tamen contendit ideo ipsos annum a Dio inchoasse quod Syro Macedonibus seu Antiochenis Regibus parerent. Vide dissert. 5. p. 408.

Sed nobis superest alter adversarius Joannes nempe Vaillantius qui annum Antiochenses auspicatos esse ab aequinoctio verno demonstrasse sibi persuasit ex Nummis Antiochenorum, in quibus obvius est Typus Solis et crescentis lunae cum ariete qui Typus, ut laudatus Vaillantius ait p. 342. hist. Reg. Syriae dubium de anni principio apud Antiochenses movere imo solvere videtur. et paulo post: an vero ad vernum aut autumnale tempus aeram dinumeraverint Antiochenses Nummi eorum per Arietem aequinoctium vernum, cum sol est in hoc signo, denotantem, ad Nisan aeram Seleucidarum illos assignasse manifestant. opinionem Vaillantii amicus ejus Norisius multoties rejicit et refellit in Novissimo opere suo de Epochis Syro Macedonum, imo virum qui totus est in Nummis perquirendis armis suis proterit nempe nummis. quos enim cuderunt Tripolitae demonstrant aeram Seleucidarum apud Syros coepisse autumno, ut probat Norisius. olim Langius lib. 1. de Annis Christi Cap. 8 p. 102 tradiderat annum apud Antiochenos a vernâ tempestate mense Artemisio seu Maio Latinorum incoepisse. ad hanc sententiam, inquit Norisius dissert. 3. p. 136 videtur nuper accessisse virum Clariss. et amicum nostrum J. Vaillantium. sed Langius eandem quam tuetur Chronographus Alexandrinus amplexus est sententiam. Antiochenos nempe autumat anni exordium seu potius Epochae sumpsisse ab Artemisio quo tempore sol Taurum percurrit. at ~~Langius~~ Vaillantius annum Antiochenorum inchoat a tempore quo sol in Arietem ingreditur, id est a Xanthico, nullumque sibi concinentem habet ex veteribus aut recentioribus scriptoribus. nec citet libr. 1. Machab. nam scriptorem istum non more Syro Macedonico sed prorsus Judaico annum a Nisan auspicari, eundemque aeram Seleucidarum sex aut septem mensibus antevertere eruditi omnes norunt, ita ut hic actum agerem si rem exploratissimam et litteratis viris notissimam expendere et asserere vellem. qui conjectura Vaillantii aequo jure explodere tur, sufficere posset quod ipsa omnibus Antiquitatis monumentis adversetur imo Nummis quibus statuitur non vere sed autumno Syros annum inchoasse. numquid licebit conjecturis nescio quibus ex Nummis ingeniose deductis res certissimas in dubium revocare aut evertere. sed Tripolitarum Nummi etiam veritati opitulantur et valide contra conjectanea insignis Antiquarii et rei Nummariae magistri decertant. praeterea nego et pernego arietem cum sole luna aliquando comite (qui aries symbolum Antiochensium) designare annum et initium seu primum mensem anni. sol et luna, (inquit Vaillantius pag. mox laudata 342) annum designant. annus duplex apud veteres habebatur Naturalis seu Astronomicus, id est, circulari solis motu terminatus, quem designat sol. alter lunaris seu civilis festis celebrandis, magistratibus ineundis

et aliis id genus rebus accommodatus cujus symbolum exhibet luna crescens. Hæc conjectura non admodum felix est. nam Norisius p. 136. dissert. 3. recitat nummum qui servatur in cimeliis Mediceis. in antica parte cum capite turrito urbis antiochiæ legitur ΑΝΤΙΩΧΕΩΝ. in postica vero cum ariete et sydere intra lunam bicornem obvii Antiochiæ symbolis legitur ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ.ΕΤ ΔΡ. sub Quadrato anno 104. qui cœpit ab autumno anno urbis 808. Neronis 2°. at sub Nerone uno sæculo elapso ab obitu Julii Cæsaris apud Antiochenos usitatos fuisse menses lunares festis celebrandis creandisque magistratibus accommodatos nunquam probabit ullius veteris cujusvis testimonio. non bene, inquam, clarissimus antiquarius symbolum antiochenorum interpretatus est. symbolo isto designantur tutelaria antiochenorum numina, quorum icones aut saltem ænigmaticæ figuræ sculptæ videntur in nummis eorumdem antiochenorum ipsemet Vaillantius notat in historia regum syriæ icones Jovis et apollinis in nummis Seleucidarum sculptos videri, qui fuere non solum horum regum sed antiochenorum civium tutelares Dii. Julianus enim augustus in Misopogone adjurat antiochenos per tutelarem ipsorum Deum Jovem his verbis p. 104. εἶεν ἀλλὰ τῆς ἀχαριστίας πρὸς θεῶν καὶ Διὸς ἀγοραίου καὶ πολιούχου ὑπόσχετε λόγον verum enim vero per Deos immortales per jovem fori præsidem, atque hujus urbis custodem (tutelarem) quæ tam tam ingrati atque offensi in nos animi causa est. Et p. 89. sic antiochenses alloquitur χριστὸν δὲ ἀγαπῶντες ἔχετε πολιοῦχον ἀντὶ Διὸς καὶ τοῦ Δαφναίου Christum amatis et quasi numen tutelare colitis pro jove (nempe Philio) et Daphnæo (Apolline) ipse Vaillant. hist. Reg. Syr. p. 399 postquam retulit nummum Tigranis Regis armeniæ et Syriæ in cujus tiara inter duas aquilas sculptus videtur icon solis, asserit celeberrimus antiquarius solem antiochenorum insigne fuisse eorumdem Deorum. Jovis puta et apollinis seu solis post obtentam autonomiam a Romanis in nummis scalpebant aut saltem figuras quasdam quibus iidem Dii designabantur. Noris. enim diss. 3. p. 134 recitat ex cimeliis Reginæ Christinæ nummum in cujus antica parte caput turritum urbis antiochiæ visitur, in postica vero cum tripode epigraphe ista. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Ε.Κ. antiochensium metropoleos legibus suis utentis anno 25. tripus ad apollinem pertinet. ibidem recitat nummos antiochenorum Norisius florentiæ servatos in quibus visitur figura jovis victoriolam tenentis. jovis icon similis obvius est in nummis Seleucidarum. tandem Norisius p. 141 duos ex cimeliis Mediceis recitat antiochensium nummos in primo laurus, in altero lyra visitur symbola quæ ad nullum quam ad apollinem pertinere possunt. in antiochenorum autem nummis obvium est caput jovis barbati cum his verbis ΔΙΟΣ ΦΙΛΙΟΥ quæ tutelarem jovem hujus urbis exhibent. Apollinem autem antiochiæ cultum in templo Daphnæo non alium a sole fuisse certum est, licet interdum poetæ ipsos distinguerent

Deos enim Ænigmatice Solum Multiplicabant, diversas ipsorum Deorum proprietates tanquam diversa Numina Exhibendo. postquam (inquit Julianus) p. 96 Μισοπωγ) Mortuum Daphnes (Babylam Martyrem intelligit) remisit quidam … iis qui demortui reliquiis irati fuerant templum Daphnæi dei attribuerunt, alii vero templum inflammarunt … ac mihi quidem videtur Deus Multo ante Conflagrationem templo Excessisse etenim primo statim intuitu statua ipsa mihi indicavit. atque hujus rei testem appello Magnum Solem (Deum Daphnæum) adversus eos qui nolint Credere … decimo Mense ut vos numeratis is nempe Lous a vobis nominatur πάτριός ἐστιν ἑορτὴ τοῦ θεοῦ ἰδίου patrium festum est hujus Dei et magno studio ad Daphnem Concurritur. | Certe Deum Daphnæum Solem fuisse hic disertis verbis docet nos Julianus. festumque hujus Dei Antiochenis patrium fuisse. de uno Eodemque Deo Sole et Apolline hæc leguntur orat. 4. inter op. juliani p. 279 part. 1. Antiqui Minervam pronoæam Apollini qui nihil a Sole differre videbatur ἀπόλλωνι τῷ νομιζομένῳ μηδὲν ἡλίου διαφέρειν quod fuse et docte demonstratur a Macrob. l. 1. Saturnali. c. 17. Deum istum Symbolo Arietis, cui junctum erat Sydus Exprimebant. figura enim Arietis designabatur Sol ut docet nos Macrob. Saturnal. l. 1. c. 21. Sol, inquit, per Menses 6. Hybernales Sinistro incubat lateri ab Æquinoctio verno supra dexterum latus; sicut et Sol ab Eodem tempore dexterum hæmisphærium reliquo ambit Sinistrum ideo et Hammonem quem Deum Solem occidentem Lybies Existimant Arietinis Cornibus fingunt, quibus maxime id Animal valet, sicut Sol radiis. nam et apud Græcos ἀπὸ τοῦ κάρα (Lege κέρας Cornu) κριὸς appellatur. | Eo loci Macrobius asserit Hammonem qui Jupiter vulgo Existimatur idem esse. Sol enim idem ac Jupiter est juxta reconditam Ethnicorum Theologiam. Jupiter enim sicut Sol erat Deus lucis. ita Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 16. Cum jovem (inquit) accipiamus lucis auctorem, unde et Lucetium Salii in Carmine Canunt. | Cretenses δία τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant, ut diei Patrem. Jovem et Solem unum ac Eundem esse Deum probatur etiam testimonio auctoris orat. 4. inter op. juliani p. 278. primæ partis, quid hic (ait Scriptor iste) tantorum τὸν ὅρον vel Ωρον Commemorem aliave Deorum Nomina quæ in Solem universa Conveniunt. homines quippe Deum hunc intellexerunt Ex iis quæ vi suapte molitur &c et p. 279 hunc tam Copiosum Deorum Exercitum in Singularem et primariam divinitatem Componens, Minervam et pronoæam attribuit, quam è vertice jovis ortum habuisse narrant fabulæ, nos Ex toto rege Sole prodiisse totam et in ipso Comprehensam Credimus, in quo eatenus a fabula differimus, quod non è summo vertice sed e toto totam Natam esse volumus. nam alioqui, Cum nihil Solem inter et jovem interesse putemus, veterum ad opinionem accedimus &c | hoc itaque Symbolo Sculpto in Nummis Antiocheni Deos suos tutelares ingeniose Exprimebant, et quidem erudite prout gentiles poterant et sciebant Sydus, ut diximus seu icon Solis inter Cornua Lunæ Crescentis visitur in Nummo Mediceo relato a Norisio. nam Luna Soror et Socia Solis est, Luna, inquam, lumen radiosque Excipit Solis cujus Calorem ferventiorem moderatius temperatum humiditate sua juxta veterum sententiam transfundit in terram, ita ut Ejusdem Syderis

Lunae puta beneficio plantarum et Animalium procreatio tributa olim fuerit. Jovem vero et quidem Hammonem in Numismatibus ariete signari asserui, ipsam que Assertionem meam Confirmo numismate recitato Ex Musaeo Harlaeo a Vaillantio p. 341. hist. Regum Syriae in quo videtur Icon Jovis Laureati et Barbati, porrigit dextram Manum cui adsidere sol videtur, super Caput vero Crescens luna apparet. Cornua lunae vicem Arietinorum Hammonis Cornuum obtinent. humana vero Jovis figura hoc in Numismate locum Arietis in aliis nummis sculpti occupat nec mirum quod Arietis figura sacra fuerit apud Antiochenses, Cum ea Hammonem repraesentet, Cujus filius dici et haberi volebat Magnus Alexander, et eâ de Causa Corniger a Statuariis repraesentari, ut scribit Clem. Alexandr. in protreptico. at sicut Imperii Graecorum vel Syromacedonum auctor habebatur Alexander, ita Antiocheni Eundem Principem inter suos Conditores Connumerabant, ut testatur Libanius in Antiochico to. 2. p. 335. initia enim Antiochiae Conditae, ut ibidem legitur, fuere templum Jovis Betticaei ab Alexandro fundati. hoc itaque Symbolo in Nummis Expresso Deos suos tutelares et primum fundatorem Heroem Alexandrum Colebant et venerabantur Antiocheni Cives, nec ipsis Curae erat Exteros docere, quo Anni Coelestis tempore Annum sacrum vel Civilem aut Epocham Seleucidarum auspicarentur, quemadmodum Vaillantius Conjiciebat. nec dissimilis erat aliis Syris Consuetudo, nam fulmen fuit proprium Seleuciae Maritimae Symbolum, ut patet Ex nummis a Laudato Vaillantio Editis in hist. Regum Syriae. Seleucum enim, ut scribit Appianus in Syriacis, aiunt in Condenda ad Mare Seleuciâ secutum Augurium fulminis, ideoque etiam num fulmen tanquam Deum ab ipsis Consecratum et Hymnis Celebratum. hanc Seleuciensium Idololatriam perstringit Cyrillus Hierosolym. Cum ait Catechesi 13. Graeci fulmina adorant. Sed Seleucienses fulminis Symbolo Colebant Jovem fulminantem, fulgurantem, tonantem, cui etiam Romani aras ponebant, ut Certiores nos facit inscriptio vetus apud Gruterum p. 21. n. 6. Hesychius suffragatur nobis verbo Κεραύνιος, ubi ait fulminator tonitru stupefaciens, ϰ) Ζεὺς ἐν Σελευκίᾳ et Jupiter apud Seleuciam. Carolus etiam Patinus p. 125. indicis Mauroceni Thesauri laudat Nummum Antonini pii in posticâ inscriptum ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ Jupiter Ceraunius i. e. fulminator. quemadmodum itaque Antiocheni Deos suos tutelares Exprimebant Arietis Symbolo, ita Seleucienses suos fulminis Symbolo designabant. pari ratione Panienses loco iconis Dei sui tutelaris Panis, sacram ipsi Syringem solam Symbolum nempe Panis Expresserunt in Nummis Ex Musaeo Droniano Edito a Noris. diss. 4. p. 346 alii Syri Magnum Deum suum Solem variis Symbolis Exprimebant. Comageni in Nummis sculpebant Scorpionis figuram pro solis Symbolo, nam ut ait

93 Macrobius Saturnal. lib. 1. c. 21. Scorpius naturam Solis imaginatur, qui Hyeme torpescit, et transacta hac aculeum rursus erigit, vi suâ nullum naturae damnum ex hyberno torpore perpessa. | Simili modo alii Syri Solem figura Tauri exprimebant, ut in hoc videlicet Nummo Edito a Spanhemio diss. 4 et a Vaillantio p. 37. et 14 hist. Reg. Syr. in cujus numismatis antica visitur caput pelle Leonina ornatum cum ala supra aurem et in parte aversa bos cornupeta cum Epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ bos cornupeta, inquit eo loci Vaillantius, alludere videtur ad Seleuci factum. Seleucus, inquit Appianus adeo vasto robustoque fuit corpore ut Taurum ferocem ligni ficantes quondam alexandro vinculis profugum solus cornibus arreptum manibus retinuerit. haec jejuna conjectura est. nam tauro cum nulla virilis figura adstans appareat in hujus Nummi postica, non video quomodo ipsa de laudato Seleuci facto interpretari possit. praeterea istud numisma vultum exhibet dissimilem ab altero in Nummo expresso quem celeberrimus Antiquarius ad Nicatorem retulit. unde nam igitur didicit iconem capitis Leonina pelle tecti in hoc numismate expressum ad Seleucum Nicatorem pertinere potius quam ad Callinicum vel Ceraunum? Edidit ipse p. 259 laudati operis alterum nummum in quo visitur istius de quo agitur numismatis iconi simillima figura in anticâ. at postica docet nos hunc Nummum ad Alexandrum Regem Syriae pertinere. | et p. 151. idem Vaillantius alium edidit Nummum, cujus postica icon aliis a me memoratis similis est, sed Epigraphe Posticae ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΧΑΙΟΥ demonstrat in antica caput Regis seu Tyranni Achaei exprimi. non itaque certum est cui nam Seleucorum ferri debeat nummus editus p. 37. conjectura idcirco Vaillantii omni destituitur fundamento. | imo Norisius p. 364. Edidit Nummi posticam, in qua cum nomine Aradiorum et eorumdem Epochae anno ΕΟΤ. 375 exprimitur icon Tauri currentis. cusus autem fuit hic Nummus anno V. R. 870 aut circiter, nihil igitur Taurus expressus aliquoties in Nummis Syrorum cum Seleuco Nicatore commune habet. Sed, ut monui, Tauri symbolo, Sol ipse, quod praecipuum Syrorum Numen erat, exprimebatur ut docet nos Macrob. Saturnal. l. 1. c. 21. his verbis. | Taurum vero ad Solem referri multiplici ratione Aegyptius cultus ostendit, vel quia apud Heliopolim Taurum Soli consecratum quem Neton cognominant, maxime colunt, vel quia bos apis in civitate Memphi Solis instar excipitur, vel quia in oppido Hermunthi magnifico Apollinis templo consecratum Soli colunt Taurum Pacin cognominantes insignem miraculis convenientem naturae Solis. nam et per singulas horas mutare colores affirmatur et hirsutus setis dicitur in adversum nascentibus, contra naturam omnium animalium. unde habetur veluti imago Solis in diversam mundi partem nitentis. | idem Macrob. ibid.

testatur Ægyptios potissimum Leonis figuram Solem expressisse. Ægyptii, inquit, Animal (Leonem) in Zodiaco consecravere ea Cœli parte, qua maxime annuo cursu Sol valido effervet calore, leonisque inibi Signum Domicilium Solis appellant, quia id Animal videtur ex natura Solis substantiam ducere, primumque impetu et calore præstat animalia, uti Sol præstat Sydera, validusque est leo pectore et priore corporis parte, ac degenerat posterioribus membris, æque Solis vis prima parte diei ad Meridiem increscit, vel prima anni parte a vere in æstatem mox elanguescens deducitur ad occasum qui diei vel ad hyemem quæ anni pars videtur esse posterior. idemque oculis patentibus atque igneis cernitur semper, ut Sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili cernit. Subdit Macrobius hæc quæ diligenter consideres velim, nempe nec solus Leo sed Signa quoque universa Zodiaci ad naturam Solis jure referuntur variis itaque diversorum signorum Symbolis Solem ipsum orientales exprimebant. Vidisti Signum Leonis Domicilium Solis appellasse Ægyptios, at ipsi nequaquam annum auspicabantur ab ingressu Solis in Leonem seu Domicilium, ita ut frustra sint qui ex Domicilio Solis quod apud nonnullos aries est initium anni Civilis definire præsumunt apud quosvis populos vel Civitates.

Nihil itaque Antiquarii et Critici Nostri in medium attulerunt quod Elevare posset auctoritatem testimonii Juliani Imperatoris de primo Mense Anni Antiochenorum, certissimum itaque est apud ipsos annum exordium sumpsisse a Mense Dio Jovi sacro, prout apud cæteros Macedones. attamen quamplurimis testimoniis veterum constat Epocham Seleucidarum initium ducere non a Dio Syro Macedonico, sed a Zygone Macedonum qui Syro Macedonibus Hyperberetæus erat 12 anni Macedonici Mensis. et licet exinde annus Civilis non inchoaretur apud Antiochenos, tamen Epochæ Seleucidarum Anni multiplicabantur olim apud ipsos a Neomenia hujus Mensis Ζυγὸς et sublato usu hujus Epochæ apud Antiochenos, qui veteri æræ Seleucidarum Cæsarianam novam substituerunt, initium æræ Civilis nequaquam immutari debuit. idcirco æra Antiochena cœpit eodem die ac Epocha Seleucidarum scilicet Neomenia Zygonis seu Hyperberetæi, licet anni Civilis Neomenia incideret in initium Dii seu 24 8bris Juliani. Certe Vicus refert inscriptionem Numismatis in qua Anni Imperitantis Neronis junguntur Epochæ civili et vulgari, annus nempe 5 Neronis notatus numerali littera Ε. et Epocha Antiochenorum HP. CVIII. præterea in Gaza Regia, ut docuit me Toinardus visitur alius Antiochenorum nummus eadem Epocha signatus, sed imperitantis Neronis exhibet annum VI. ϛ numerali figura designatum, quibus suppositis affirmandum nobis esset quod annus 5 Neronis adhuc currebat, cum jam apud Antiochenos eorum Epochæ Civilis annus 108 fuisset inchoatus, annus

93 autem Neronis 5us desiit die 13 8bris et cœpit annus ejusdem Principis Imperii 6us itaque initium habuisset Epocha Antiochena ante diem 13 Octobris a Neomenia inquam hyperberetæi seu 25 7bris et æqui noctio autumnali. Sed ut valde suspicor nummum minus accurate descriptum fuisse, vicumque hallucinatum reputo, nam tunc temporis antiquarii ignorabant quid figura ς significabat apud Syros. ipsa autem non erat nota numeri 5. sed numeri 6 Samitaque pro E. (Є) deceptus vicus accepit. attamen cum Epocha nova Cæsariana Epochæ Seleucidarum fuerit substituta probabile haberi poterit (si tamen numerales Mæ litteræ in nummis Antiochenorum annos Neronis Principis certo exhibent, quod indubium incertum que revocari potest, nam in nummis saltem Berrhoensium et Gazensium similes litteræ nihil aliud sunt quam monetariorum notæ.) ab Hyperberetæi Neomenia utramque novam et veterem initium duxisse. deinde cum usus indictionum receptus fuisset in oriente Antiocheni jam christiani omnes æram suam vulgarem et æram mundi inchoarunt a Cal. Septembr. cum indictiones multiplicabant. unde quidam licet pauci ex Arabicis scriptoribus Epocham Rumæam et Dulkarnaim seu Alexandræam inchoant a Kal. Elul seu Gorpiæi 7bri juliano æquati. Cœteri autem fere omnes Mahummedani et Christiani orientales Epocham Dulkarnaim cœperunt a Kal. 8bris seu a Neomenia Hyperberetæi juliano Octobri æquati. Æra quidem vulgaris non incipit semper eodem die ac Neomenia anni civilis nam initium anni Romani Kal. erant Januarii, at Epocha Rom. ab urbe condita incipiebat a Palilibus urbis seu a die 21 Aprilis. Æra Christiana apud non nullos incipit a 25 Decembris, apud alios a die 25 Martii, licet Januarius sit anni civilis primus mensis. Epocha igitur civilis Antiochenorum aliud initium semper habuit ac annus civilis et sacer.

Satis de anno et æra Antiochenorum disseruimus, superest tamen ut agamus de Epocha Augustæa quam imperitante etiam Tiberio in nummis expresserunt monetarii Antiocheni. hujus Epochæ initium desumpserat olim Cl. Norisius a mense julio vel æstate anni V. R. 724. Sed in novissimo opere de Epochis Syro Macedonum dissert 3. ipsum prioris sententiæ pœnituit. asseruerat enim Epocham istam Augustæam in nummis expressam necessario deduci debere ab autumno anno urbis Romæ 723. brevissimo scilicet tempore elapso a pugnâ actiaca commissa die 2. Septembris. Antiocheni enim, ut supponit Norisius, statim sese Cæsari excusso Antonii jugo subjecere. Sed assertionem suam neque nummorum a se productorum neque auctoritate ullius scriptoris beneficio firmare potest eruditissimus criticus unde ejusdem probationes et argumenta nobis inter dubias et incertissimas conjecturas reputare licebit. Sat, inquit Norisius, Dio Cassius testatur Epocham Monarchiæ Augusti præcise numerari debere a die actiacæ pugnæ seu a 2. Septembris anni urb. cond. 723. tradit enim

Dio. l. 51.

Dio l. 51. initio praeter morem ab eo diem supra memoratae pugnae fuisse notatum, quod ab hac die Caesar rerum potitus est. ὥστε καὶ τὴν ἀπαρίθμησιν τῶν τῆς Μοναρχίας αὐτοῦ ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι ita ut dinumeratio Annorum Monarchiae ejus ab hac die exacte sumatur vel sumi posset. quid inde? Ergo Dio docet nos Epocham usu Civili et Communi receptam institutam fuisse quae que initium ducebat a die pugnae Actiacae 2.a 7bris Anni U. R. 723 Nego et pernego Nam etiam Anno 724 Epocham Monarchiae Augusti institutam pari ratione demonstrare possemus ex his Dionis verbis initio lib. 52. haec itaque sub Regibus inque populari rei administratione ac Ceterorum deinde principatibus a Romanis acta vel ipsis contigerunt Annis 724. ἐκ δὲ τούτου Exinde vero (ab hoc V. anno 724) Rursus Romani proprie Coeperunt ab uno regi μοναρχεῖσθαι αὖθις ἀκριβῶς ἤρξαντο Nonne haec sunt simillima μοναρχίας ἐτῶν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας ἀκριβοῦσθαι et ~~μοναρ~~ Μοναρχεῖσθαι ἀκριβῶς ἤρξαντο. Verba igitur Dionis nihil Conficiunt et frustra huic Scriptori innititur Celeberrimus Criticus. at ipsi non parum officit laudatus Dio nam l. 53 p. 750 postquam Narravit divisionem a Caesare Octavio factam provinciarum inter Imperatorem et populum Romanum Anno 727. ipso tunc Caesare Augusto appellato ait: οὕτω μὲν δὴ τότε τοῦ δήμου καὶ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη καὶ ἀπ' αὐτοῦ καὶ ἀκριβῶς \ hoc pacto omnes populi Senatusque imperium ad Augustum transiit ab eo que praecise et Exacte initium (supple duxit Monarchia) itaque juxta Dionem Monarchia illa initium ducere debet etiam ab Anno $\frac{726}{727}$ unde Originem trahit Epocha Augustorum olim recepta. | Censorinus de die Natali Cap. 21. recenset omnes Epochas tunc a Romanis receptas, nullam agnoscit quae Exordium ducat a 2. Septembr. anni 723. hic annus (inquit Censorinus) cujus velut index et titulus quidem est Ulpii et Pontiani Consulatus ab Olympiade I millesimus est et quartus decimus ex diebus duntaxat Aestivis, quibus agon Olympicus Celebratur a Roma autem Condita 991 et quidem ex Palilibus, unde urbis anni numerantur, eorum vero Annorum quibus Julianis Nomen est 283. sed ex die Kalendas Januarias. unde Julius Caesar anni a se Constituti fecit principium et eorum qui vocantur Anni Augustorum 265 perinde ex Kal. Januar. quamvis ex ante diem 16 Kal. Februarias Imperator Caesar Divi filius sententia L. Munucii Planci a Senatu Caeterisque Civibus Augustus appellatus est Se VII. et M. Vipsanio Agrippa III Coss. (anno V. R. $\frac{726}{727}$) sed Aegyptii qui biennio ante (anno 724 die 29 Augusti) in potestatem ditionemque Populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum 267. Vides a Censorino qui Coaevus Dioni fuit nullam Epocham Memorari cujus initium sumatur a Septembri anni 723. | Dio igitur solummodo vult ab historico initium Monarchiae

Augusti deduci a die Victoriæ Actiacæ, quod ipsa imperium orbis Octavio Cæsari Meruerit, sed ab hac die vel ab hoc anno 723. deductam fuisse Epocham Civilem nullibi reperietur et nunquam probabit Norisius. nullus ipsum quod sciam docuit Antiochenos se se subjecisse Augusto ante finem anni Juliani XVI. Contendit tamen jam tum Didium Cæsaris legatum Syriæ præfuisse, gladiatoribusque obstitisse quominus per Syriam in Aegyptum per venirent, ut Antonio Domino auxiliarentur. \ hæc quidem Dio recitat anno 724 sub Augusti IV Consulatu. (inquit Noris. dissert 3. p. 214) ubi et ea quæ de Navium Combustione recensui, quia uno historiæ filo contexuit quæcumque Cæsar post Victoriam gessit, nempe iter in Græciam, transmissionem in Asiam, inde Brundusium Navigationem, ac denique reditum ejus in Asiam, quæ partim contigere Anno Juliano XV partim sequenti, Cum esset Consul IV. hucusque Norisius qui hac ratiocinatione nihil conficit nec dubium solvit. nam Dio non obscuris sed perspicuis verbis docet nos Gladiatores in Syriam ut Antonio opem ferrent venisse æstate anni 724. Cum Didius eidem Provinciæ vice Cæsaris præesset. ait enim laudatus scriptor l. 51. p. 448. Corn. Gallum accepto scarpi Exercitu occupasse Parætonium in Aegypto quod sane contigit tantum æstate anni 724 quod cum rescivisset Antonius etsi in Syriam proficisci vocatus a gladiatoribus in animo habebat, illuc tamen non est profectus, sed contra Gallum contendit Antonius sperans illius copias absque vi ad se traducturum, itaque Gladiatores nondum se Didio dediderant, cum Parætonium occupavit Gallus. hoc etenim ex Dione liquet, nam dum adhuc Antonius contra Gallum decertaret Κἂν τούτῳ interea Cæsar, ait laudatus historicus l. 51. p. 449 Pelusium occupavit quod contigisse tantum mense sextili anni 724 notum est. \ Ne quis opponat Gladiatores qui Cyzici exercebantur postquam τάχιστα intra brevissimum spatium temporis, teste Dione Nuncium pugnæ et cladis Actiacæ accepissent in Aegyptum contendere aggressos esse i.e. autumno anni Juliani XV Varroniani 723. et exinde eosdem gladiatores adhuc in armis substitisse in Syriæ finibus æstate anni sequentis 724. Minus probabile videri imo verisimillimum est. nam ipsi non itineribus solitis in Syriam venerunt nam postquam è Bithynia discesserunt πολλὰ ἔδρασαν inquit Dio l. 51. p. 447. Contra Amyntam in Galatiâ et contra Tarcondimoti filios in Galatia qui omnes summa ante cum Antonio et Cleopatra amicitia conjuncti tum fortunam secuti ab his defecerant, beneficiaque a Cæsare susceperant Amyntæ quidem Regnum servatum fuerat et filiis Tarcondimoti regnum Paternum dono a Cæsare concessum, qui illud Philopatori eorum fratri

et filio Tarcondimoti abstulerat, pervenerant idcirco gladiatores pulsis amyntâ et Cilicibus dynastis exacto saltem vere anni 724. unde, ni fallor certo concludere possumus argumentum ex bello illo gladiatorio petitum nullius esse ponderis, nec Didium Legatum Cæsaris Syriæ præfuisse anno Urbis 723. Juliano XV. Legatum igitur istum ante æstatem anni 724 rexisse vice Cæsaris Syriam non liquet, neque ullo fundamento nititur Norisii conjectura de initio Imperii Augusti et Epochæ Augusteæ apud Antiochenos. |isti autem eam non aliunde deducebant quam Alexandrini ab anno nempe 724. hoc etenim anno Cæsar Asiæ Syriaque circuitu Ægyptum petiit, obsessaque Alexandriâ, quo Antonius cum Cleopatra confugerat brevi potitus est, ut tradit Suetonius l. 2. c. 17. cui suffragatur Josephus Antiq. l. XV. c. X. | Cæsar Ægypto tota et urbe Alexandriâ potitus est die 29 Sextilis An. 724. objiciet nobis forsan aliquis Paulum Orosium qui lib. 6. c. 19 tradit M. Antonium tandem victum se ipsum interemisse Alexandriamque a Cæsare captam Kal. Sextilibus. Sed aperte fallitur Orosius nam, ut ait Dio l. 51. p. 457. Cæsari concessus est triumphus de Ægyptiis ... utque apud ipsos dies quâ Alexandria capta est festus esset et ab eo ducere tur in posterum initium ἀπαρίθμησεως seu anni et æræ vulgaris. | Suffragatur autem Dioni Censorinus de die Natali c. 21. scribit enim Ægyptios, quod biennio (completo) ante Kal. Januar. anni 726/724 in potestatem ditionemque populi Romani venerunt, habere hunc annum (238 quo æræ Christi quo opus suum edidit idem Censorinus) Augustorum annum 267. unde patet Ægyptios Epochæ seu æræ suæ initium duxisse a die quo in potestatem populi Romani venere. | atqui certissimum est Epocham Augustorum Ægyptiacam incepisse a die 29 Augusti Anni U. C. 724 igitur hac die capta fuit Alexandria, nec, ut opinor, cladium quas in Ægypto pertulit Antonius distinxit tempora | primum enim terra marique a Corn. Gallo ad Paretonium superatus est Antonius se ipsum interemit Cæsarque Alexandriæ potitus est. unde ni fallor certo colligere possumus Cæsarem, cum in Syriam venisset, Antiochiam ingressum esse mense Julio. hinc Antiochenis omnia quæ a priore Cæsare beneficia acceperant, Octavius confirmavit licet hosti Cæsaris et pop. Romani Antonio prius favissent, unde jure merito libertate et immunitatibus suis multari merebantur. | a die igitur quo Antiochiam ingressus est Cæsar Antiocheni novam Epocham instituere potuerunt in hujus principis honorem, ut se ipsi gratos exhiberent, vel potius ut ei adularentur. Nummi hac Epocha signati reperiuntur in variis cimeliis nonnullos recitat Noris. diss. 6. c. 8. 1.° ex Mediceis cimeliis et Septalianis cujus anticæ inscriptio latine redditur Cæsar Augustus Augusti filius. in

alia parte legitur Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Ε.Μ. (Anno) primo (Tiberii nempe) sub Silano (Legato) Antiochensium (anno) quadragesimo quinto hic Nummus sub finem Mensis julii anni Æræ nostræ 14 urbis 768. ineunte anno Epochæ Augusteæ 45 currente adhuc anno Imperii Tiberii primo usque ad diem 19 Augusti cudi potuit. si tamen hac vice Norisius Œdipus fuit non Davus et si littera Α vere annum Tiberii primum exprimit. 2.us Nummus quem exhibet id. Norisius servatur in Cimelio illustris Theodori Bignonii Magni Consilii Principis in postica vero hanc inscriptionem præfert. Γ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. Ζ.Μ. Epocham illam a Seleucensibus admissam hoc Numisma demonstrat, cusumque fuit Anno Æræ Chr. 17. U.R. 770 ineunte anno 47. Epochæ Augusteæ apud Syros usu patæ currente anno Imperii Tiberii Cæsaris III usque ad 19 Aug. dum adhuc Syriam regeret Silanus, qui mortuus fuit paulo post et eodem anno Juliano ante Kal. Jan. ut ex Tac. l. 2. Ann. discimus. Cum autem (inquit Norisius Cap. mox citato) in Nummo Mediceo legitur ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΔ. et in rariori Nummo D. Apollonii Bassetti Magno Duci Etruriæ a Secretis Annus ΜΒ habemus eundem Sylanum per sexennium Legatum Augusti et Tiberii in Syria. interpretationem laudatorum Nummorum a Norisio prolatam modo admittere videbar. insignem Criticum Œdipum supposuimus, at eundem hac vice Davum fuisse metuo. Considentes sane sententiam suam profert decretoriamque his verbis: Equidem nisi contentiosus et litigandi cupidus negare possit illis litteris Α in Nummo Antiochenorum ac Γ in alio Seleuciensium annum primum ac tertium Principatus Tiberii significari. Papæ! quantum conjecturis suis indulget Veronensis Herosnuperus? quantum in sibi repugnantes durus et acer? ipsum procul dubio Tyrannidis non modo affectatæ, sed palam usurpatæ reum facit omnis Antiquariorum Natio ferocissima et jugi impatiens. ne nos tamen minæ Criticorum Principis deterreant, ab ipso provocare licet. Vaillantius enim ejusdem Amicus me docuit in Thesauro regio reposita esse Beroensium Syrorum Numismata nonnulla. in unius quidem Antica visitur caput Trajani laureatum cum hac Epigraphe ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΑΡΙΣ. ΣΕΒ. ΔΔ ΠΑΡΘ. i.e. Imperator Cæsar Nerva Trajanus optimus Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus. in postica vero ΒΕΡΟΙΑΙΩΝ in laurea, cui voci adjuncta littera Γ. Cognomen istud ΠΑΡΘ Parthicus non admissum a Trajano ante annum 19 vel saltem 18 in confesso est apud omnes Eruditos. idcirco littera Γ quæ in postica hujusce Regii Numismatis visitur nequaquam annum laudati Principis 3. nec litteræ Α et Β primum et secundum ut ex necessaria consecutione conficitur indicare possunt. litteræ itaque Α.Β.Γ non annos Imperatoris Romani seu Tiberii seu alterius Principis exprimunt sed 1.am 2.am et 3.am officinam Monetariam, ut didici a Vaillantio qui licet

Nummos pene infinitos viderit in variis Europæ, Asiæ et Africæ locis, nullum
tamen se reperisse asseverat in Syria cujum qui alias notas præter ΑΒΓ
præferat unde certo concludit in Nummis a Norisio laudatis non annos Tiberii
Imperatoris sed officinarum Monetariarum ordinem ~~praestari~~ notari) nihil
itaque agit Norisius cum probare contendit Antiochenos Epocham novam ins-
tituisse quæ initium ducebat a die pugnæ actiacæ, nullam aliam agnoscere
æram Imperii Augusti Orientales præter eam quæ initium ducebat a die
29 Augusti An. V.C. 724. quo se ipsum peremit Antonius, æraque illa di-
cebatur Actiaca quam a pugna actiaca distinguendam esse jam monuit Pe-
tavius lib. 10 de Doct. Temp. C. 69. imo æra seu Epocha initium sumere
dicebatur a Victoria Augusti seu Capta Alexandria. | Clem. enim Alexand.
lib. 1 Strom. ait ab obitu Alexandri, hoc est æra Philippi ad Ἀύγ855 Nίκην
Victoriam Augusti, quando Antonius sibi ipsi mortem conscivit Alexan-
driæ (et hæc est Epocha Actiaca, seu Augustorum Ægyptiaca) anni
sunt, inquit 294. et exinde ad certamen quod Romæ exhibuit Domitianus
anni 114. anni itaque Victoriæ Augusti, si vulgatum et tritum usum respicias
a die quo capta fuit Alexandria et inde desumendi anni Victoriæ ἔ185
νίκης qui exarati apparent in Nummis urbium Syriæ Augusto Imperante
frustraque nonnulli hujus Epochæ initium retrahunt ad pugnam Actiacam
a qua nullibi et nusquam Epocha civilis deducta fuit, imo novam revera
sub Augusto Antiochiæ fuisse institutam Epocham dubium est etenim
nullus omnino scriptor qui hujus meminerit Epochæ extat. Sane, ut modo
vidimus exarati reperiuntur anni Augusti in Nummis nonnullis cusis
in urbibus Syriæ. Sed iidem Nummi præferunt nomina Imperatoris
et ejusdem legati) at cum Autonomia Antiochensium notatur in
nummis, nulla alia apparet æra, nisi ipsiusmet autonomiæ, vel
potius Imperii Julii Cæsaris qui Antiochensibus Autonomiam res-
tituit et confirmavit. et ut (inquit Norisius dissert. 3. p. 135 novissimi
operis in ditissimis Christinæ Reginæ cimeliis Antiochenorum Num-
mus cujus ectypum ab eadem Augusta impetravi, ut et in altero quod ex Medicæa
Gaza produco Autonomia Antiochenorum in antica parte Regii Nummi caput turritum
urbis Antiochiæ visitur, in postica vero cum tripode Epigraphe latine redditur: Anti-
ochensium, videlicet urbis, Metropoleos suis legibus utentis.) tripus erat mensa in
templo Apollinis cui super impositæ Phœbades vaticinia eructabant. Illo etiam
symbolo, uti etiam lauro suum erga Apollinem Daphniticum cultum in nummis in-
dicabant. addit pretium Nummo Epocha in ejusdem area litteris ΕΚ. 25 expressa
quibus annus Antiochenorum ab confirmata a Julio Cæsare ipsorum autonomia
25 designatur, qui quidem annus cœpit ab Octobri anno Urb. 729 quo anno labente

Cujus fuit ille Nummus. | Huc usque Noris. qui alio profert nummos cum Symbolis Lauri et Lyrae et Epocha Caesariana p. 151 et alium p. 136 ex Musaeo Basseti cusum anno quarto Epochae imperante quidem Augusto Cum Nominibus praesidum Notabantur Monetae, anni imperitantis ejusdem Principis in Syria Exprimebantur, et in reliquis orientalibus Provinciis quibuscumque Imperii. Verum initium ducitur a die 29 Aug ultimum autem Legatum qui in eadem Provincia Annos imperii Augusti Exprimi Curaverit reperio Silanum quem Cum Augustus legatum ad Syriam regendam anno 765 miserat. Mortuo Augusto et in Numerum Deorum relato anno 767 Memoriae hujus Imperatoris Egregius Cultor ejus qui ipsum Cum potestate miserat annos de morte sed divi Exprimi in Nummis Voluit. Verum Tiberius invisum Sibi Silanum dimovit. praeerat quidem Silanus Anno V.C. 769 Cum Vononem Parthorum Regem profugum Custodia Circumdedit ut asserit Tacit. Ann. l. 2. C. 3. at ipsi Successorem designavit Pisonem Tiberius anno 770 ut testatur idem Tacitus Eod. lib. Ann. c. 43. provinciae tamen regimen Suscepit Piso tantum anno Sequenti 771. ut habetur Cap. 55. in Syriae Nummis Exaratum non visitur nomen Cn. Pisonis, sed Ejusdem Successoris proximi Pomponii Scilicet Flacci qui primus post Pisonem in Syriam missus est a Tiberio. istius ac Flacci nomen Exaratum Visitur in Gazae Regis Christianissimi nummo Cujus Ectypum exprimi Curavit Norisius Novissimi operis p. 141. Epigraphe sic habet επι φλακκου αντιοχεων ΒΠ Sub Flacco Antiochensium Anno 82. Vides statim post reditum Silani Tiberio Imperante omissos fuisse in Nummis Syrorum Annos Augusti, Solamque Caesarianam Epocham Exaratam fuisse. istam autem Sub Augusto et Tiberio prorsus omissam fuisse in Nummis nec verum nec verisimile est. nam Epochas Augusteae in Solis Nummis Notatae Antiochenorum aeram Civilem, seu aliorum quorumvis Syrorum non Exprimebant, sicut variae Epochae a Pompeiana diversae, quas in Nummis Gazaeorum Exaratas vidimus nequaquam erant Epochae seu Aerae Civiles. | Sola Pompeiana Aera Civilis Gazaeorum et Caesariana Antiochenorum fuere quae nunquam apud laudatos cives omissae. imo D. Patino fides, nummum is vidit cum hac inscriptione hinc ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ illinc ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ ΔΝ. anno 54. | Cum Octavius Augustus obierit anno V.R. 767. qui erat 44 Epochae Augusteae Syrorum anni 54 eo in Numero signati pertinent ad Epocham Caesarianam initam Anno V.R. 705 qui ita ut annus iste 54 exierit autumno anni V.R. 759 qui erat Epochae Augusteae usurpatae a Syris 36 tandem Noris. diss. 3. p. 230 ut probet Tiberio Superstite aut paucis post ejus obitum annis Syros Epocham Augusteam Antiquasse recitat nummum ex Serenissimi Cenomanorum Ducis Gaza cusum anno priscae Epochae Seleucensium BC. 202 qui Coepit per autumnum anni V.R. 846 ac 12 imperii Domitiani Correspondet. |

Sed de his satis superque diximus, imo de hac nota Monetaria nullibi in Veterum libris seu monumentis laudata. Cujus ne vola nec vestigium reperitur apud Historicos anxie nimis disquirere supervacaneum duxissem, istudque viris Numismatomania laborantibus Enucleandum libentissime reliquissem, nisi inde lux posset affulgere historiæ sacræ et judaicæ. judæis enim syriæ Contributis multum Cum hujus provinciæ præsidibus agendum fuit



De Epocha Laodiceæ ad mare

Inter urbes quas Seleucus Nicator de Matris suæ Laodices nomine Laodiceas nuncupatas condidit, duæ in Syria fuere, una ad mare altera ad Libanum in Mediterraneis Straboni lib. 16. p. 517. in Syria describitur Λαοδικεία ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ Laodicæa ad Mare. Vaillantius p. 262 hist. Reg. Syr. nummum recitat inscriptum ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ Laodicensium ad Mare. Lentulus Ep. 14 lib. 12 famil. Ciceron. de Dolabella scribit: nulla alia Consuusube Laodiceam quæ est in Syria ad Mare, rursus Straboni p. 520 Λαοδικεία ἡ πρὸς Λιβάνῳ in Antonii Caracallæ Nummo Regio apud Harduinum p. 285 legitur Λαοδικέων πρὸς Λιβάνῳ Laodicea ad Libanum. In Act. 6. Conc. Chalced. subscriptus nominatur Valerius Episcopus πόλεως Λαοδικείας τῆς φοινίκης et actione prima laudatur Eusebius Presbyter agens vices Macarii Episcopi Λαοδικείας Συρίας hæc enim in divisione trium Provinciarum Syriæ intra eandem Syriam superiorem constituta est. altera Laodicæa ad Libanum Phœniciæ attributa. Anno V. C. 707. Julius Cæsar Dictator cum terrestri itinere per Syriam contra Pharnacem proficisceretur, dicitur Hirtio cap. 65 de bello Alexandrino commoratus fere in omnibus civitatibus quæ majore sunt dignitate; præmia bene meritis et viritim et publice tribuens. ille vero eo anno 707 mense Maio anni Juliani proleptici erat Antiochiæ ut ex Ep. 19 Cicer. ad Attic. l. XI ostendit Noris. dissert. 3. C. 4. p. 165 et 166. cum vero ut colligit id. Norisius p. 232 ~~Lao~~ Laodicæa Ægyptum versus esset infra Antiochiam MP 65 idem Cæsar circa Aprilem anni emendati fuerat Laodicæ. tum ~~Lao~~ Laodicenses quorum urbs inter eas censebatur quæ in Syria majoris dignitatis ab Hirtio dicuntur autonomia aliisque Privilegiis ab eodem Cæsare donati sunt. hinc Novam in honorem Julii Cæsaris Epocham instituerunt cujus annum primum esse voluerunt illum ipsum annum Macedonicum civilem qui ab autumno anni Juliani proleptici præcedentis inceptus tunc decurrebat mense Maio Juliano proleptico An. V. C. 707. itaque caput ejusdem Epochæ deducendum ab autumno An. V. C. 706. Antiochensium enim Epocha cujus initium refigi debet autumno anni 705 uno tantum anno præcedebat æram Laodicensium, ut locupletissimo testimonio docet nos Eusebius in chron. scribit enim Manichæorum hæresim exortam 2.º anno Probi Imp. juxta Antiochenos anno 405 juxta autem Laodicænos anno 404. auctor enim Chronici Alexandrini cum recitasset æram ab Antiochenis institutam anno proxime sequenti scribit; Laodiceni hinc sua tempora numerant, quanto studio Laodicenses Julio Cæsari addicti essent prodit Dio l. 47. narrans Dolabellam qui bellum anno urbis 711. contra Cassium in Syria susceperat ab Antiochenis exclusum

Laodicæam se recepisse. oppidanis, inquit, sc. ob studium quo priorem Cæsarem
(Julium) prosecuti fuerant dedentibus. Cassius ipse in Epistola quæ inter familiar.
Cicer. habetur 13. lib. 12 id testatur his verbis Dolabellam ut Tarsenses pessimi
socii, ita Laodicæni multo Amentiores ultro accesserunt. Dio mox laudato lib. 47
scribit Tarsenses adeo priori Cæsari et Ejus gratia posteriori (Octaviano) favisse
ut urbem suam pro Tarso Juliopolim nuncupaverint. Laodicenses etiam Tarsen-
sium hac in parte æmulos urbem suam Juliam appellasse. id omisit Dio sed
docent nos nummi. unum refert Tristanus tom. 1. p. 126 in cujus parte Anteriori
legitur ΘΕΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑ-
ΣΤΗΣ. Divi Cæsaris Augusti, Divæ Juliæ i.e. Liviæ. dubitat quidem Tris-
tanus p. 128 num ille nummus pertineat ad Laodiceam in Phrygia vel potius
ad Laodiceam Maritimam in Syria. illum putat viventibus augusto et Livia
Julia sculptum, cum ante obitum ille Dei, ista Deæ nomen ab Ovidio aliisque tule-
rint, sed Errat Tristanus, nam nummus iste ad unam Syriacam maritimamque
Laodicæam pertinet, nec sculptus est vivente Augusto. etenim ut docet nos Tacitus
lib. 1. Annal. Livia testamento Augusti saltem adscita est in familiam Juliam
unde Julia et Augusta dicta est. Laodicenses postea sub Severo Imperatore
se Septimios et Severianos appellarunt, cum enim Severo faverent, ipsi pros-
pere acclamarunt statim atque nuntiata ipsis fuit Nigri Pescennini fuga è
Bithynia ubi victus erat a Severo, ut scribit Herodian. l. 3. c. 62 qua defectione
a Nigro audita misit Equites Mauros qui Laodicenis improviso oppressis po-
pulum ipsum omni genere Crudelitatis urbemque vastarunt, e contra Antiocheni
qui æmuli Laodicænorum et hostes erant, quod familiare est vicinis, Pescennio
favebant. idcirco Severus iratus Antiochenis multa his ademit, ut scribit
Spartianus c. 9. vitæ Severi. Eorum enim urbem Syriæ præsidem Principem
Laodicænis subjecit, ut testatur Herodi. l. 3. c. 68. hinc ratio dubitandi fuit
utrum etiam Antiocheni amisissent privilegia quæ lege sua non beneficio
Imperatorio habebant. sed inclytus Juris consultus Severoque Amicissimus
Papinianus respondit eos non carere lege 37 tit. 4. l. 42 ff his verbis.
Antiochensium Cœlesyriæ Civitati quod lege sua privilegium in bonis defuncti
debitoris accepit, jus persequendi pignoris durare constitit, præter Cœlesyriæ
Principatum quod ademptum Antiochenis concessit Laodicænis Severus
imperator. Civitatem enim Laodicænorum juris Italici Coloniam fecit, ut
docet nos Severo Coævus Ulpianus ff l. 50 tit. 15 de Censibus leg. 1. est et
Laodicæna Civitas in Syria Cœle, inquit, cui Divus Severus jus Italicum
ob belli Civilis merita concessit. unde Paulus Juris Cons. ait Ejusd. tit. leg. 8a
Laodicæa in Syria et Berythos in Phœnice juris italici sunt. ait Paulus
absolute Laodicæa in Syria non adjecta Cœles appellatione, quia Cœlesyria

Simpliciter et proprie dicebatur Syria et hæc non raro ab aliis Syriis Phœnice puta et palæstina distinguebatur utraque a Phœnice et Palæstina nunquam absolute Syria vocabatur. Laodiceni ut gratos se Severo exhiberent in hujus honorem cuderunt nummum quem in ære incisum edidit Norisius ex cimeliis Mediceis p. 234. in antica parte legitur ΑΥΤ. ΚΑΙ. CΕΠ. CΕΟΥΗ ΡΟC in postica vero ΙΟΥΛ. ΛΑΟΔΙΚ. CΕΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC hunc nummum quem Parisiis jam viderat Harduinus refert p. 285 sicuti et hos latinos nummos COL. LAOD. METROPOLEOS et Sep(timia) COL. LAUD(icia) Metrop. ad Laodiceam ad Libanum eo quod Ulpianus loco mox citato tradat Laodiceam de Severo bene meritam et Coloniam Italicam factam, sitam fuisse in Syria Cœle, quæ regio tota Mediterranea inter Libanum et Antilibanum sita est. Sed errat Harduinus. nam licet hæc regio libanica sub Seleucidis et Ptolemæis qui de ejus possessione diu contenderunt olim dicta fuerit Cœlesyria et sic appelletur ab auctore lib. 2. Mach. c. 3. a Polybio legat. 82. et Strabone lib. 16 qui etiam eidem regioni adjungit Phœniciam et Palæstinam asserens pag. 520. totam regionem ultra Seleucidem in Ægyptum et Arabiam recedentem Cœlesyriam appellatam, licet, inquam, Ptolomæus l. 5. c. 15. p. 160 Cœlesyriæ nuncupationem concedat soli regioni inter Libanum et Antilibanum sitæ. Cœles enim i.e. cavæ nomen Syriæ parti inter utrumque montem depressæ conveniebat, attamen a Julii saltem Cæsaris et Augusti temporibus Syria superior dicta fuit Syria Cœle, exclusa regione Libanica et Phœnice nam laudatus Strabo p. 751. testatur jam ævo suo nonnullos totam Syriam in Cœlesyros et Phœnicas esse partitos. imo dum a Dione Cassio lib. 53. p. 504. recensetur divisio provinciarum imperii Augusto Imperatore facta inter Principem et populum Romanum ab eodem scriptore Phœnice diserte excluditur a Cœle Syria his verbis: ταῦτά τε ἦν καὶ ἡ Συρία ἡ κοίλη καλουμένη ἥ τε φοινίκη καὶ Κιλικία. Cum vero Adrianus Phœnicen a Syria Antiochena separasset soli Antiochenæ seu superiori Syriæ nuncupatio Cœles remansit, qui mos sub Severo obtinuit ut docet nos disertissimis verbis Papinianus, cum ait lege mox citata Antiochensium Cœle Syriæ civitati &c. igitur Syria Antiochena tunc erat Cœle Syria imo Harduinus ab Ulpiano quem citat Ulpiano egregie refellitur. nam titulo laudato de Censibus, is Cives Syriæ in tres provincias partitur Phœnicem, Syriam Cœlem, et Palæstinam. laudat primo tres juris Italici Colonias, Tyrum, Berytum et Heliopolim in Phœnice, postea Laodiceam in Syria Cœle deinde Ptolomensium civitatem sitam inter Phœnicen et Palæstinam, tum resumens colonias Phœniciæ ait: sed et Emisenæ civitati Phœnices Imperator noster jus coloniæ dedit, jurisque Italici eam fecit. est et Palmyrena civitas in provincia Phœnice

Vides Phœnicia adjungere Heliopolim et Emesam, imo Palmyram i.e. non modo omnem regionem circa Libanum, sed tandem Provinciam Phœniciæ usque ad Euphratem extendere, cui fluvio vicina erat Palmyrene. Vetustissima itaque Cœle Syria tunc confundebatur cum Phœnice et Syria Cœle provincia distincta a Phœnicia non alia erat a superiore seu Antiochena Syriâ in qua sita erat Laodicæa, quam juris Italici coloniam fecerat Severus Imperator et quam Paulus Juris Consultus in Syriâ absolute i.e. in Syria Antiochenâ sitam fuisse testatur leg. 8. de Censibus. Castigandus est adhuc Error Harduini asserentis Laodiceam dictam fuisse Juliam non a benefactore Julio Cæsare, sed a Julia Augusti Conjuge. Sed licet hæc divinatio quæ nullo prorsus fundamento nititur, ut temere obtruditur, rejici posset, eam tamen invicte refellit nummus editus a Norisio p. 237. in antica parte cernitur sine litteris caput Apollinis cujus cultum Seleucus Laodiciæ Conditor, condito apud Antiochiæ suburbana luco per Syriam propagaverat, imo quod Laodice mater Seleuci de cujus nomine Laodicæa dicta fuit filio imposuerat se eundem ex Apolline genuisse uti scribit Justinus l. 15. Laodicenses eximio cultu Apollinem prosequebantur. inscriptio alterius partis est ΙΟΥΛΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ litteræ numerales ZM. inferius obsignatæ designant annum Laodicensium 47. qui cœpit per autumnum anno U.C. 752 cum nondum Livia Augusti conjux Julia diceretur, quod nomen accepit primum testamento Augusti vita functi anno Urbis 767 a quo in familiam Juliam adoptata fuit, ut testatur Tacitus sub initio l. 1. Ann. et Sueton. in August. c. 101.

Norisius p. 239 ut Epochæ Laodicensium mirifice illustretur initium, resolvere promittit dubium quod est inter eruditos de tempore quo Trajanus appellatus est optimus, Dacicus et Parthicus. Spartianus, ut disputat Celeb. Criticus p. 239, de Hadriano c. 3. art: quæsturam gessit Trajano IV et Articuleio Coss. &c. post quæsturam acta senatus curavit atque ad bellum Dacicum Trajanum familiarius prosecutus est. Illud consulum collegium in fastis est index anni U.R. a Palilibus 854 ac 4.ti Imperii Trajani quo anno nondum Dacis priori bello contusis Trajanus titulum Dacici nentiquam ferebat. Extant in Musæo Mediceo bina numismata, prius est primæ magnitudinis æreum, alterum vero argenteum cum antica parte inscripta Imper. Cæs. Nerva. Trajan. Aug. Germ. in nummo majori æreo dicitur Tribun. pot. VI. Imp. IV. Cons. IV Designat V. Trajanus an. U. 840 sub initium Novembris tribunitiam potestatem accepit. quare anno U. 846 usque ad autumnum decurrebat

eidem Annus 6. Trib. potest. quod vero Nuncupatus Imp. IV patet Eundem ob Dacos Eod. An. V. 856 Superatos a Victore Exercitu Imperatorem 3. et 4. ac clamatum fuisse. | Extat Puteolis inscriptio Imperator Cæsar Divi

Nervæ f. Nerva Trajanus Germanicus Pont. Max.
Trib. Pot. VI. Imperat II. Consul IIII P.P. inchoatam
a Divo Nerva Patre suo relictis antiqui itineris.

reliqua temporum injuria periere (Eandem recitat Gruterus p. 190. n. 3. qui in fine inscriptionis hæc addit.) suam perficiendam Curavit. licet voces istæ perierint, nec Amplius hodie appareant, ut ex oculati testis relatione asserit Norisius tamen Extitisse non dubito, dum in vivis esset Scipio Mazella auctor Puteolanarum Antiquitatum, ex quibus se hanc Epigraphem describ sisse fatetur Gruterus p. 177. n. 2. quam Venusiæ repertam jam retulerunt Appianus et Jovianus Pontanus | ex horum lapidum inscriptionibus Constare Trajanum ante Annum Tribuniciæ potestatis 6^tu^ dictum fuisse Imperatorem 2 Cum nondum vicisset Dacos quibus tamen Eodem vertente anno Trib. potest 6 superatis Imper. 3. et 4. Salutatum fuisse Ex eodem Nummo Colligit Norisius. | at Eodem fere tempore Cudi potuit Nummus citatus a Norisio et Puteolana inscriptio Sculpi. nam nihil obstat quin inscriptio dedicata fuerit Mense Octobri. ineunte Anno Novo Trib. pot. Trajani, et statim Cum Nuncius Romam pervenisset Victoriæ Dacicæ, Nummus ille Cusus fuerit sic Notatus Imp. 4. Cos. 4. desig. 5. nam se hunc Trajanus in Annum Sequentem 103 Æræ Nostræ Consulem designaverat, et paulo post alii Nummi Cusi fuere Ante Kal. janu. anni 103. in quibus dictus fuit Dacicus, cum jam ab Exercitu victore Dacicus Nuncupatus fuisset, quod Senatus etiam ratum habuit. | Citat præterea Noris. Joannem Xiphilin Epitomator. Dionis qui Cum Narrasset Trajanum post victos priori bello Dacos in Italiam reversum fuisse (labente Autumno Anni 102) ac Decebali Regis Dacorum Legatos tunc in Senatum admissos junctis manibus ac depositis Armis more Servorum pacem Supplices rogasse ac dein Confirmata pace Arma recipiunt, eo que facto Trajanus de Dacis Triumphavit et Dacicus appellatus est. itaque, inquit Noris. p. 240, Trajanus Decreto Senatus Dacici titulum tulit. Cum vero in Nummo Mediceo Imper. 4. sine Dacici titulo legatur, patet eum Nummum Cusum fuisse priusquam de victis Dacis Trajanus triumphum ageret. | Ex Argenteo vero Nummo in quo Dacicus Cos. 4. inscribitur Colligimus eundem Trajanum antequam iniret Consulatum 5. Cum jam esset Cons. designatus 5 ex priori Nummo de Dacis triumphum primum duxisse. ita differit Noris. dissert. 3. pag. 241. Sed Nihil Novi pro opinione sua tuenda affert, repetit quæ jam Scripserat in Epistola Consulari | at hæc omnia optime refellit Eruditus Amicus Noster Pagius in Critica Baron. ad An. 103. n. 7.

Contendit quod nullius ponderis esse in dirimenda hac quaestione. Verba Xiphilini nam, inquit Pagius, Spartianus C. 9 Vitae Severi ait hunc imperatorem in priori bello Parthico recusasse Parthici Nomen. recusavit et Parthici Nomen ne Parthos lacesseret, quod tamen in Nummis Severi tunc Cusis legitur. imo id. Xiphilin. Ex Dionis lib. 68 postquam de Victoriis de Parthis a Trajano reportatis locutus est ait: tum Vero multa decreta sunt a Senatu, sed imprimis optimus Cognominatus est, quod etiam Zonaras habet, et tamen Plinius in Panegyrico anno Christi Centesimo dicto C. 88 haec habet. Justo ne de Causis Senatus pop. Rom. optimi tibi Cognomen adjecit. Extat apud Mediobarbum p. 158 Trajani Numisma inscriptum in Antica Imp. Caes. Ner. Trajano optimo Aug. Germ. Dac. in postica Vero P. M. T. R. P. XIIII Imp. VI. Cos. V. P.P. opt. Principi. Vides Trajanum Diu ante Armeniam Captam optimum Nominari. licet Tradat Dio illum post eam Victoriam optimum Cognominatum, quare Sicut Cognomen optimi quod primis Imperii Annis Trajano Concessum Senatus post Captam Armeniam eidem rursus Confirmavit Sic et Dacici Nomen quod Ardente bello Dacico Trajano attributum eidem post priorem triumphum a Senatu Confirmatum. Hue usque Pagius Cui Norisius non bene regeret in Nummo ab ipso Edito Notato Trib. pot. VI. Trajanum non dici Dacicum, nam in Nummis relatis a Medio barbo p. 154. Notatis Trib. pot. VIII idem Imperator non appellatur optimus licet hoc titulo decoratus fuerit ante finem Anni 100. Aerae nostrae Cum ageret Annum Trib. pot. 3. et 4. teste oculato et omni Exceptione Majore id referente Plinio nempe in Panegyrico nec Eludit hoc telum insignis Criticus Noster dum ait p. 245. in Trajani Nummis Ante 6 Ejusdem Consulatum retrorsum legimus S. P. Q. R. optimo Principi Verum illud Cognomen in Anteriori Nummorum parte ante titulos Augusti Germanici, Dacici, in Nummorum ac lapidum inscriptionibus ante Ejusdem Tribunitiam potestatem 18 neutiquam reperitur. Non Video quid referat utrum in Antica an in postica parte legatur titulus optimi. Sed assertio Norisii Vera non est. nam Medio barbus pag. 158 post Occonem Numismatis Aerei hanc recitat Epigraphen in Antica parte Imp. Caes. Ner. Trajano optimo Aug. Ger. Dac. et in Postica P. M. TR. P. XIIII Imp. VI Cos. V. P.P. optimo Principi Vides hoc in Nummo in utraque parte Cognomen optimi Trajano tributum. aliud idem Antiquarius p. 156 refert Numisma Ex Musaeo Cospeano in Cujus Antica haec legitur inscriptio Imp. Caes. Ner. Traj. optimo Aug. Germ. Dac P. M. ~~RP~~ TR. P. Cos. V. P.P. et in Postica S. P. Q. R. optimo Principi S. C. Cujus est hic Nummus Ante Annum 112 quo Trajanus Gessit Consulatum 6. et Ante Armeniam Captam, ante Annum pariter 112 Cujus est Nummus ille apud Medio barbum p. 157. in Cujus Antica

Eadem ac Superioris Nummi legitur Epigraphe et in aversa parte S.P.Q.R.
Optimo Principi fides Militum S.C. ~~Cujus est hic Nummus
ante annum Christi 112 quo Trajanus gessit Consulatum VI. et ante Armeniam
Captam ante annum pariter~~ 112 tandem Norisius pag. mox laudata recitat hoc
Epigramma quod in Columna Trajani publico decreto sculptum etiam num Romæ
visitur. Senatus Populusq; Romanus Imper. Cæsari Divi Nervæ
f. Nervæ Trajano Aug. Germ. Dac. Pontif. Maximo. Trib.
Pot. XVII. Cos. VI. PP. ad declarandum quantæ altitudinis
mons et locus tantis operibus sit Egestus a. v. 867. inquit Noris
Trajanus usque ad Exitum 8.vo annum Egit Tribuniciæ potestatis 17. quo nondum
Romæ inscribebatur optimus Augustus. Sed Exinde nihil Concludi potest. nam in
laudato Epigrammate affixo Columnæ Trajani omittitur prorsus Cognomen optimi
quod tamen ipso fatente Noris. diu ante Concessum fuerat Trajano. at in tribus
Nummis relatis a Medio barbo p. 159. in quibus sculpta visitur Columna Cochlidis
Trajani leguntur hæ inscriptiones. in primo Imp. Cæs. Nervæ Traj. optimo
Germ. Dac. et in 2.° Imp. Cæs. Ner. Traj. opt. Aug. Germ. omit-
titur titulus Dacici, itaut, si ratiocinationes Norisii valerent quidquam ante an-
num 103 vel 104. Cujus videretur iste Nummus. in 3.° Trajano optimo
Aug. Germ. Dac. P.M. TR.P. itaque titulus optimi in Nummis Tra-
jani modo Expressus modo omissus fuit, sicut Dacici et Germanici. Traja-
num Triumphasse Anno 103. Certum facit Nummus a Norisio productus Epist.
Consulari p. 67. et iterum dissert. 3. p. 241 in Anteriori parte legitur hæc
Epigraphe Imp. Cæsar. Nerva Traj. Aug. Germ. Dacicus
P.M. in posteriori vero Imperator Currum Triumphalem insidet cum
his verbis Trib. pot. VII. Imp. IIII. Cos. V. P.P. S.C. tribuniciam potesta-
tem VII. Cœpit tantum Anno 103. antea jam dicebatur Dacicus. Norisius enim
Ep. Cons. p. 63. ait Extare in Gaza Medicæa Nummum argenteum cum Epigra-
phe Imp. Cæs. Nerva Trajan. Aug. Germ. et in aversa parte
Dacicus Cos. IIII. Medio barbus p. 15. duos alios Trajani Nummos habet
in quibus is dicitur Germ. Dac. P.M. TR.P. Cos. IIII PP. qui sicut Præce-
dens anno 102 percussi. Si Trajanus suscepta Tribunicia potestate VII et Consula-
tu V autumno saltem labente Anni 103. triumphavit, ante Triumphum
jam Dacicus dictus fuerat Cum in Nummis ubi Cos IV appellatur Dacici
Nuncupationem etiam obtineat. Sed Nummum ex Musæo Magna Vaccano quem
protulerat Norisius in Ep. Cons. iterum recitat in Cujus Antica hoc Epigramma
legitur. Imp. Cæs. Ner. Trajan. Aug. Germ. Dac. P.M. et
in postica Trib. Pot. VII. Imp. IIII. Cos. IIII Des. V. P.P. Ex Eodem
nummo fastos emendandos esse jam Scripserat Norisius p. 68 Ep. Cons. et iterum

111 Contendit dissert. 3. p. 242 et seqq. quare (sic enim disputat Vir clariss.) cum in memorato Nummo dicatur Trib. pot. VII. Cos. des. V. anno tantum insequenti Aeræ Christi 104 Cos. V in fastis scribendus est. at Antonius Pagi Scriptor Nostræ ætatis Celeberrimus in Clypeata quadam præfatione Contendit plus fidei præstandum esse omnibus Veterum fastis quam uni aut alteri Nummo. (hucusque Norisius cui ut opinor optime Consultum fuisset si Doctissimi Amici sui prudentissimam opinionem secutus esset, Cum Pagius Contendit plus fidei præstandum esse omnibus Veterum fastis hac in parte mira concordia inter se Convenientibus, quam uni Nummo se Virum Exquisitissimi judicii probat. (supposito enim quod Epigraphe Nummuli quo modo producitur ingratam Cum fastis omnino non possit revocari, nec ab illo Excogitari possit inter Ambos Conciliatio, libenter profecto agnoscamus Errorem in Nummuli inscriptione potius quam fastos deseramus. (si enim hæc firma et solida historiæ fundamenta, fastos, inquam, liceat Convellere, omnia pervertentur et in incerto erunt, quod absit. Audacis manus est Norisii facinus. sed ipse nequaquam audiendus est, nisi prius invicte demonstraverit nullum prorsus in quibusvis Nummis reperiri et unquam repertum fuisse Errorem, quod paradoxum absurdum indignumque esset Viro erudito et Cordato, et absit ut hujus Erroris reum faciam Clariss. et Celeberr. Criticum qui ultro Errores agnoscit in Nummis Citat enim p. 78. diss. 2. Nummum Ex Musæo D. Dron in quo Exarata videtur hæc vox ΔΑΜΑΚΗΝΩΝ. Errore Monetarii littera Σ deficiente, ut ait ipse Noris. id. pag. 253 diss. 3. refert alium Nummum ex Gaza Medicæa in Cujus Postica Cum Capite Plautillæ uxoris Caracallæ legitur hæc Epigraphe ~~AV~~ ΓΟΥΣΤΑΝ. ΦΛΟΥΙΑΝ ΠΛΑΥΤΙΛΛΑΝ ubi gravi Errore Monetarius omisit duas litteras Ο et Υ scribendum enim Erat ΦΟΥΛΟΥΙΑΝ non ΦΛΟΥΙΑΝ sed in Nummis Tribunitiæ potestatis peccatum fuisse etiam à Monetariis aliquando Certissimum est. nam Gallus imperavit tantum Mensibus 18 ut testatur Coævus et fidei probatissimæ Scriptor Dexippus apud Syncellum igitur Tribunitiam potestatem 3 nequaquam suscipere potuit qui Mense Novembri Anno 251 occiso Decio Creatus est Imperator et interamnæ trucidatus ante æstatem anni 253. at in Posticis Nummorum Ejusdem Principis hæc Epigrammata leguntur apud Medio barbum p. 360. P.M. Trib. Pot. III. Cos. II. P.P. Ex Nummis Faeschianis P.M. Trib. P. III. Cos. II. P.P. S.C. Ex Occone Imo P.M. Trib. P. IIII. Cos. II. P.P. S.C. Ex Musæo laudati Comitis Mediobarbi in Posticis etiam Nummorum Volusiani filii Galli leguntur hæc Epigrammata P.M. Tr. P. IIII. Cos. II. Ex Occone et apud Medio barbum p. 362 et ibidem Ex indice Polatio duobus in Nummis diversis legitur in Aversa parte Ead. Epigraphe P.M. Tr. P. IIII. Cos. II. P.P. S.C. nummos istos falsitatis Arguit Nemo et sunt sinceri, si qui alii, nonne Norisius veram Chronologiam et Historiam Romanor. Imperatorum

subvertere.

et perturbare satius duxerit quam nummis istis fidem denegare. nequaquam sed
Majoris est momenti fidem factorum sartam tectam servare quam Annos Galli et
Volusiani} igitur Nummulo Magnavaccano non Major fides adhibenda est quam
omnibus fastis, dicendum que Monetarios sicut Sculptores marmorum et lapidum
aliquando litteras vel permutasse cum aliis vel omisisse vel bis repetitas oculis Nostris
obtrudere.} hic postremus Error librariis obvius est. Scripserunt enim pro Marcus
Verus, Marcus Sverus et postea Marcus Severus, apud Tertullianum in apolo
getico legebatur in prioribus Editionibus Nullas Severus leges impressit pro nullas
Verus{ Similimodo Monetarius peccavit in Scalpenda Epigraphe Nummi Tra
jani TR.P. VII Imp. IIII Sequitur post Numerum Tribunitiæ potestatis Littera I
quæ ad Vocem Imperator pertinet deceptus Monetarius bis sculpsit figuram I
sed sic emendanda est Epigraphe Trib. pot. VI. Imp. IIII. eodem que prorsus tem
pore Cusum fuit hoc Numisma quo Mediceum primæ Magnitudinis editum a Noris
p. 240. nec Mirum quod aliquando Monetarii peccarint. fabri enim illi vel Artifi
ces linguam latinam Cum Nescirent plerisque in Provinciis præsertim Orientalibus
impossibile est ut aliquando in Scalpendis Numeris Romanorum a græcis prorsus
diversis non sint Hallucinati, quinimo Græcos seu Orientales ipsos in Scalpendis
Epigraphis Nummorum Græcis aliquando Errasse etiam in Numeris ipse Noris. as
severat p. 354. his Verbis J. Vaillantius p. 343. historiæ Reg. Syr. Exhibet numisma
inscriptum ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΕϘΡ Regis Antio-
chi Epiphanis anno CXCV in icone nummi Sculptoris Errore obsignata est Epocha
s ΕΠ. Ρ. CLXXXV quo Anno Nondum Antiochus VIII in Syria Regnabat. itaque
Vir Clarissimus in Expositione hujus Nummi recte Annos recitat CXCV. Reum itaque
habemus Confitentem ipsummet Antiquariorum Corypheum Noris. Verum hoc
in Numismate Antiochi Grypi Scalpendo nihil peccavit Monetarius at solus
delineator aut Cælator Cujus Manu usus est Vaillantius, ut in Ære nummos
suos repræsentaret.| Artifex autem ille Contra Mentem Vaillantii alibi peccavit
Norisius tamen Ex multoties laudato Magnavaccæo Musæo suppeditat nobis
alium Nummum in quo Manifestum Monetarii Errorem deprehendimus
inscriptus enim est oculato teste Norisio affirmante ΒΑΣΙΛΕΩΣ
ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ Ε. ϘΡ Regis Antiochi Evergetis Anno
194. Cum iis omnino Symbolis quæ in Nummo Antiochi Sidetis Exhibet Vaillan
tius.| at occisus est apud Parthos Evergetes ille anno 183. erravit itaque Moneta-
rius et figuræ Numeralis O dextrorsum lineolam imperite apposuit. nec au
diendus Norisius qui Novissimi Operis sui p. 354. Contendit hunc Antiochum
Sidetem non esse sed Grypum seu Epiphanem. Verum Grypus neque apud
Scriptores neque in tot Nummis qui hodie Extant alibi Evergetes appellatur -
istud Evergetis Cognomen Sideti proprium et peculiare fuit. licet autem Reges
Seleucidæ a subditis variis Cognominibus Nominarentur, tamen in Nummis
siquando non Vulgatum et tritum Nomen sibi regesisti assumunt, nequaquam

Consuetum Cognomen omittitur, sed Consueto rarius et novum superadditur. ita apud Vaillant. hist. Reg. Syr. p. 271 Exhibetur Nummus Demetrii Nicatoris cum hac inscriptione ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ hæc appellatio Philadelphi rarior est fateor sed non omittitur Consuetum Demetrio Cognomen Nicatoris. Erravit igitur Monetarius ille. Duosque Nummos Antiquos possidet Josephus Magnavacca, unum Antiochi Evergetis Græcum, alium Trajani Latinum cujus in inscriptione Mendum agnoscendum est, mirum plane esset, si nummorum sculptores fabri infimæ sortis et esse plebis homines immunes fuissent ab Errore cui viros eruditissimos et Maximos obnoxios libenter agnoscimus. nummis igitur historiæ et Chronologiæ illustrandæ sunt non evertendæ; bono litterarum Numismatum Studium hodie excolitur; sed Cavendum ne studium istud Numismatum utilissimum adeo degeneret ut artis laudatissimæ abusus Numismatomania appellari possit. Desinant tandem Eruditissimi Antiquarii factorum Religionem violare quod infelicissime semper cessit viris etiam Maximis. pene omiseram Errorem Norisii qui citat p. 239 et 240 hæc verba Spartiani Ex c. 3. vitæ Hadriani. Quæsturam (Hadrianus) gessit Trajano 4. et Articuleio (Pœto) Coss. post quæsturam acta Senatus Curavit atque ad bellum Dacicum familiarius prosecutus est. Illud Collegium (subjicit Noris) in fastis index est a Palilibus Anni V. R. 854. ac 4.° Imperii Trajani quo Anno nondum Dacis priori bello Contusis Trajanus titulum Dacici neutiquam ferebat. quorsum ista? ut ostendat Trajanum profectum non fuisse ad bellum Dacicum nisi An. Chr. 102. V. R. a Palilibus 855. eo quod Hadrianus qui Trajanum prosecutus est Annuum quæsturæ Magistratum obtinuerat Anno 101 V. R. 854. sed Errat Criticus noster et simili Hallucinatione Cæspitavit p. 67. Epist. Consul. inferendo eundem Hadrianum toto Anno quo Tribunatum plebis gessit, Romæ Mansisse. ideo Cum Spartianus scribat c. 3. Hadrianum Trib. Plebis factum fuisse Candido et Quadrato Coss. i. e. Anno Æræ Vulgaris 105 et prætereà 2. Expeditione Dacica Trajanum eundem Hadrianum primæ legioni Minerviæ præposuisse secumque duxisse Noris loco Citato Concludit 2.am Expeditionem Dacicam ante annum CVI susceptam non fuisse, perperam hæc omnia supponuntur Confutata quæ sunt Egregie à Guillelmo Loydio Chronologorum hujus Ævi Principe in specimine imperii Trajani inedito et in Ep. ad Pagium. Tribunatus Plebis, inquit Pagius in Critica Baronii ad An. 103. n. 8. ut ad me vir Clariss. Loydius scripsit stante veteri republica munus quidem Annuum fuit, sed Trajani temporibus semestre fuisse Plin. l. 4. Ep. 4. testatur, imo forsan et bimestre fuit sicut Consulatus. In veteri autem republica quando Tribunis plebis ne una quidem nocte extra urbem Morari liceret tamen Ex S.C.to aut plebiscito tunc licebat quovis proficisci reip. Causa. quanto magis nunc quando Tribuni omni Munere vacarent, quando tantum locum in Senatu supplerent et sibi ad Majora gradum præstruerent, præsertim a Principe jussi qui pro more horum temporum omnem Rom. pop. potestatem

in se transtulisset. Sane de Tribunis plebis in hujus ævi Scriptoribus tam pauca habentur, ut unius Exemplum qui Tribunatus anno militavit vix edere possimus sed quæstoris Exemplum habemus in ipso Hadriano Trajanum ad primum bellum Dacicum familiariter profecuto Anno nempe 101. Trajano et Pæto Articuleio Coss. quo quæstor fuerat Hadrianus. Ædilem vero videmus Clodium Albinum non ultra decem dies munere defunctum, ut ait Capitolinus in Albino. c. 6. quod ad Exercitum festinanter mitteretur. quidni igitur etiam Hadrianum ab initio Tribunatus quarto idus Decembris 4ᵒ aut 5ᵒ Mense Trajanus in Daciam festinans secum ducere potuerit, inquit Loydius. pari ratiocinatione reponemus Norisio ipsum male concludere Hadrianum familiariter Trajanum prosecutum non fuisse ad primum bellum Dacicum Anno 101. eo quod eo Anno Hadrianus quæsturam gesserit. primum autem illud bellum Dacicum videtur Anno 101 inchoatum (inquit Pagius in Crit. ad an. 101. num. 6) cum Eusebius in chronico Anno Abrahami ~~[illegible]~~ 2117 dicat. Trajanus de Dacis et Scythis triumphat. Exorditur hic Abrahami annus a Kalendis 7.bribus (potius 8.bribus) præcedentis Christi Anni. Sed cum Plinius in Panegyrico iisdem Anno et Mense recitato nullam belli Dacici faciat mentionem, certum est illud tunc nondum inchoatum fuisse, ideoque Eusebium de præsenti Christi Anno seu de potiore Anni Abrahamitici parte intelligendum, nec ab Eusebio hac in re discedendum, cum in utraque Editione tam Pontaci quam Scaligeri eodem Anno ea verba legantur, et Hermannus Contractus ac Marianus Scotus in suis Chronicis eadem verba Anno 4. Trajani recitaverint. Eusebium vero rerum gestarum initium ac finem uno tenore plerumque recitare et eidem Anno illigare certum. hucusque Pagius a quo dissentire non possum cum ipsi nihil opponatur ex veteribus Monumentis erutum quod sententiam suam labefactare possit.

Longa nimis Excursione Norisium a tramite suo divertentem sequi coacti sumus. jam redeamus ad Laodicenses quorum Nummos producit Celeberrimus Criticus dissert. 3. c. 8. s. 2. tres edidit in quibus visitur Trajani Caput. primi ex Serenissimi Ducis Cenomanorum Gazâ inscriptio Anticæ partis. ΑΥΤΟΚΡ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΡΙϹ. ΚΑΙ. ϹΕΒ. ΔΑΚ. Imperator Nerva Trajanus optimus Cæsar Augustus Dacicus. in postica vero legitur ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΒΖΡ Juliensium seu Laodicensium anno CLXII. litteram numeralem Ζ pro Ξ sæpe substitutam observaverunt Cl. Spanheim. p. 54 aliique Nummorum Interpretes. Trajanus, ut ait Noris. p. 239 mortuo Nerva die 27 Januarii Anno V. R. 851 a Palilibus Imperator Augustus successit. Epocha Laodiceæ initit ab Autumno Anni V. R. 706 quare Annus ab hinc 162 cæpit per Autumnum Anni V. 867 ac 17. Imperii Trajani, quum nondum Trajanus Parthicus inscriberetur. in alio vero Nummo ex Cimeliis Regiis recitato a Noris. p. 239 Trajanus inscribitur non modo Optimus augustus Germanicus et Dacicus sed ΠΑΡ. Parthicus. Cujus fuit Nummus iste, ut ex Posticæ Epigrammate constat Anno Laodicæanum

114 ΓΖΡ. CLXIII. qui Cœpit ab Autumno Ar. V.R. 869. Ær. Chr. 114 antea vero jam titulus Parthici Concessus fuerat Trajano, ut intelligitur Ex hoc Nummo Edito a Norisio p. 247. Ex Musæo D. Apollonii Bassetti Magno Duci a Secretis in Antica parte Cum Capite Trajani sequuntur hæc verba ΑΥΤΟΚΡ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΑΡΙϹ. ΚΑΙ. ϹΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. ΠΑΡ. Imperator Nerva Trajanus optimus Cæsar Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus. in Postica vero ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΒΞΡ Juliensium seu et Laodicensium Anno 162 qui Cœpit ab Autumno Anni Christi 114 desiit circa Autumnum Anni 115. Hunc nummum, inquit Norisius p. 248. Cognomen Parthici Cum anno Laodicensium Copulatum insignit, nam Cum in aliis Nummis quorum Icones superius apposui Trajanus anno Laodicensium 162 passim sine titulo Parthici obsignetur, in hoc rariori Numismate inscribitur ΠΑΡ Parthicus eodem Anno Laodicensium 162. unde Palam fit Eundem Principem Capta Anno Imperii XVIII V.R. 868 Ctesiphonte Parthici Cognomen a victore Exercitu sibi iterum teste Dione delatum tum primum admisisse, ac eodem Deinceps in lapidibus ac Nummis decoratum fuisse. Eo loci in multis peccat vir Claris. nam supponit Captam a Trajano fuisse Ctesiphontem anno 114 quod falsissimum est, Chronologia que Eruditissimi Critici unius anni Prochronismo peccat. nec feliciter invenit tempus terræ motus qui eam Expeditionem præcessit, in qua Capta urbs Ctesiphon, inhæret enim priori suo Errori quem Ep. Cons. p. 73 prodiderat Joan. Malela laudatis ab Usserio p. 63 Notat. in acta Ignat. hos Exhibet istius terræ motus Caracteres ἐπὶ ~~τῆ βασιλείας~~ τῆς βασιλείας τοῦ θειοτάτου Τραιανοῦ ἔπαθεν Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη πρὸς Δάφνην τὸ τρίτον αὐτῆς πάθος μηνὶ Ἀπελλαίῳ τῷ καὶ Δεκεμβρίῳ ΙΓ (Lege ΚΓ) ἡμέρα Α μετὰ ἀλεκτρυόνα ἔτους χρηματίζοντος ΡΞΔ. κατὰ τοὺς Ἀντιοχεῖς. Divinissimo Trajano Imperante tertiam suam Calamitatem passa est Magna Antiochia ad Daphnem mense Apellæo seu Decembri die 23 feria prima post Gallicinium anno Æræ Antiochenæ 164. qui Annus Cœpit ab Autumno Anni Nostri 115 subsequentis Decembris die 23 in feriam primam incidente, apud Malelam quidem legitur Nota Numeralis non K sed I. Error tamen iste qui in textum Malelæ irrepsit Emendatusque est ab Usserio in Notis ad acta ignatiana p. 53 levissimus est et obviusin libris, erasis enim et oblitteratis duabus lineolis quæ K ab I distinguunt figura remanet I alibi librarii pro I Efformavunt K ut apud Capitolinum Cap. I. Vitæ Maximi et Balbini. in Vulgatis enim Editionibus et MMSS habetur Senatum Concurrisse in Ædem Concordiæ. I. Kalend. Junii (potius Julii) Ludis Apollinaribus qui tamen Celebrabantur post Calendas Julias Ergo legendum VII. I. vel VIII Idus, ut in duobus Codicibus Puteanis Casaubonus vidit Ex Tripode pronuntiat Eruditus Norisius omnes recitatos characteres chronologicos videlicet Anni Antiochenorum Mensis Apellæi ac feriæ primæ apud Malelam et Characteres terræ motus ab eo relatos tam severe Confodit. audiamus. Cum

Dioni, inquit Criticus p. 183, dicatur M. Vergilianus Pedo Consul Memorati terræ motus ruinis oppressus, id Neutiquam accidit mense Appelleo seu decembri Imperator Trajanus Non Erat Antiochiæ sed longe proculin Assyria. Si Norisius probare possit labente anno 113 Trajanum in assyria hyeme ineunte bellum gessisse Causa vicit. Sed id Nequaquam præstabit neque ipsi Dio suffragatur. Conjecturis suis indulget Vir Clariss. Credo autem ipsum justiorem æquiorem que esse quam ut nobis tanquam leges Conjectanea sua proponere velit, nec ipsi favet Eusebius in Chronico nam iste refert terræ motum quo sub Trajano Antiochia quassata fuit ad Annum Abrahami 2129. qui Exiit per Autumnum Anni 113. juxta utramque Editionem Scaligeranam et Pontacenam. hæc autem sententia falsissima est nec ægre refelli poterit, nam Pedo Consul periit hoc in terræ motu. at Pedo Consul processit ordinarius Kal. Januar. Anni Abraham. 2131 Christi 115 profecto ut recte vidit Pagius in Critica ad An. 115 n. 11. Pedo Consul per priorem bimestrem quo Consulatum ordinarium gessit, neque ad Trajanum venire. (Roma ubi processerat Consul Kal. Jan) neque se rebus militaribus immiscere debuit; Consulatus enim inermis erat. Characteres itaque Chronologicos terræ motus Antiocheni a Malela recitatos, ideo falsos Existimavit Norisius quod ipsius Chronologia Imperii Trajani falsa et Erronea que et Cum veteribus Scriptoribus pugnans, quos si sequamur hanc intuemus Armeniacæ et Parthicæ a Trajano peractæ Expeditionis Chronologiam. Anno Abrahami 2128 æræ Christi 112 æstate affecta Trajanus suscepit Expeditionem Parthicam Romaque profectus in græciam venit anno 113 Cum Athenis Moraretur legati quidem Osrois Regis Parthorum eum Convenere qui et pacem petebant et Munera secum afferebant ut Narrat Dio in fragm. l. 68. p. 778. legati autem illi Athenas pervenire non potuerunt ante ver anni 113. nam ut loco citato tradit Dio, quia de Profectione Trajani Chosroes acceperat (in ultimis scilicet ulterioris asiæ Provinciis) trepidare Cœperat miseratque oratum suppliciter ne bello invaderetur et Armeniam pro Parthamasiri ipsomet Pacori filio Chosrois nepoti petebat, ut que diadema illi mitteretur rogabat. Trajanus ... respondit se postquam in Syriam venisset facturum omnia quæ fieri par esset. in hac sententia persistens Asiam Ciliciamque finitimis cum provinciis peragravit æstate anni 113 ac Seleuciam appulit Autumno anni 113. Antiochiæ Hyemavit, nam cum esset Antiochiæ Augares Osroenus (Edessenus) ei non ille quidem occurrit, munera tamen et legatos Cum Mandatis ab Amicitia non alienis misit. is enim pariter Trajanum et Parthos metuens utrique parti studebat. Trajanus vere adulto anno 114 Contra Parthamasiridem bellum aggreditur et Armeniam nullo Negotio Capit, Provinciam que Romanam facit et secundo Optimus dicitur deinde hybernat Edessæ anno 114. 1° Parthos vicit Captis Batnis et Nisibi primo etiam Parthicus dictus eum fuisset hybernat secundo Antiochiæ, quæ terræ motu quassata fuit Imperatore Præsente 23 Decembris vere ineunte

anni 116. idem Princeps iterum Vicit et Subjecit Parthos trans fretato Tigri et Capta regia Ctesiphonte, tunc imperator appellatus fuit Confirmato Parthici Cognomine. hyeme ineunte Oceanum Versus Navigavit. interea Parthi rebellarunt ineunte anno 117. quos Trajanus Compescuit Variis urbibus Captis et direptis statim ipsis regem dedit Parthamaspatem, inde Agarenos frustra oppugnavit infausto successu Æstate anni 117. tum profectus exinde non multo post tempore teste Dione lib. 68. in Morbum incidit et obiit Selinunte Mense Augusto. hæc est Vera Trajani Chronologia quam Ex Dione præsertim Eximius Chronologus Pagius mihi Amicitia Conjunctissimus illustravit in Critica Baroniana. tandem aio Novissium falso Supponere Trajanum titulum Parthici qui in Nummo Viribus Laodicensium multoties laudato ante Captam Ctesiphontem recusasse. id Nequaquam tradit Dio. ait lib. 78. p. 784. Nisibi Batnisque Captis hunc Principem Parthicum Cognominatum fuisse, sed Cognomine optimi Multo magis quam Cæteris omnibus ταῖς ἄλλαις ξυμπάσαις προσηγορίαις puta Germanici, Dacici, Parthici, gloriari Videbatur, Ex quo Natura moresque ejus suavissimi Magis quam Arma Cognoscerentur. Ergo Parthici Cognomen non admisit Trajanus hac prima vice. optima sane Conclusio! igitur abjecit etiam Cognomina Germanici, Dacici. Sed hæc absurda sunt. imo Dio docet nos Trajanum admisisse titulum Parthici, eumait et hoc Cognomine et Cæteris pluris fecisse Nuncupationem optimi. Sed licet tunc hac prima vice Trajanus omnino ~~repudiasset~~ repudiasset titulum Parthici quod falsissimum tamen est, attamen in Nummis ipsi tribui potuisset idem titulus. Nam M. Aurel. Antonino Cum delatum fuisset Armeniacum Nomen teste Spartiano Cap. 9 Vitæ Marci, hoc Marcus per Verecundiam primo recusavit illud Contigit anno 164. Nummus Lucii Veri Ex Nummis Arscotanis apud Mediobarbum hanc inscriptionem præfert L. Verus Aug. Armeniacus Trib. pot. IIII. Imper II. Cos. II. Rex armeniæ Datus. at statim Marco in Nummis Cognomen Armeniaci datum est, ut patet Ex his Nummis apud Mediobarbum p. 217. qui hanc inscriptionem præferunt M. Antoninus Aug. Armeniacus Trib. pot. XVIII Imp. II. Cos. III. tribuniciam autem potestatem 18 Suscepit Marcus Anno 164. id. Spartianus ait, profligato bello Parthico utrumque Marcum et Lucium Parthicum appellatum fuisse, sed hoc quoque Marcum delatum Nomen repudiasse. L. Verus anno 165 ineunte dictus est Parthicus ut probatur Ex hoc Nummo apud Tristanum tomo 1. fol. 866. Cujus Epigramma est L. Verus Aug. Armen. Parth. Max. Trib. P. IIII. Imp. II. Cos. II. hoc in Nummo Verus dicitur Armeniacus Parthicus Imperator II. Suscepta autem tribunitiâ potestate quinta

dictus est post Mensem Martium Imperator III. ut patet ex Nummis qui recitantur p. 236 Collect. Mediobarbi. at statim in Nummis Marcus dicitur Parthicus, ut liquet ex hoc Nummo. M. Aur. Antoninus Aug. Parth. Max. P. M. Tr. P. XIX. Imp. III. Cos. III. Ex Occone apud Mediobarbum p. 218. tribunitiam vero potestatem 19 suscepit Marcus an. 165 demum Multoties laudatus Spartianus narrat sub finem Cap. 9 vitae Severi hunc Imperatorem appellatum fuisse Arabicum, Adiabenicum, Parthicum, sed recusavisse Parthicum nomen ne Parthos lacesseret. primum istud bellum Parthicum confectum fuit anno 196 a Severo in Nummis statim appellatus est Parthicus, Adiabenicus, Arabicus. vide pag. 270 et 271 Mediobarbicae Collectionis dicitur in Numismatibus, idem Imperator VI et VII. Arabicus, Adiabenicus, Parthicus. Cum autem adhuc tribuniciam potestatem quintam gereret dictus est Imperator 8. 9 et 10. ergo Anno labente 196. Currente 4. Anno Tribunic. potestatis jam appellatus fuerat in Nummis Parthicus. eadem Nuncupatione decorabatur tunc in lapidum et Marmorum Epigraphis, ut patet ista reperta in Villa Tusculana apud Gruterum pag. 263. num. 8. Imp. Caes. Divi M. Antonini Pii Germ. Sarm. fil. Divi Anton. Pii Nep. Divi Hadr. pronep. Divi Trajani Parth. abnep. Divi Ner. adnep. L. Septimio Severo Pio Pertinaci Aug. Arabico, Adiabenico Pont. Max. Tr. P. III Imp. VII. Cos. II. P. P. Procos. design. bena censes. haec prolixius tractare operae pretium duximus ut vera Chronologia Trajani sarta tecta servari possit adversus Antiquarios omnia ex Nummis divinantes

De Mensibus et Epochis Gazensium

Gazenses cum ab Alexandro Victore vi capti, trucidati et internecione deleti fuissent, urbe eorum mox restituta, menses SyroMacedonum admiserunt, non iisdem tamen omnino diebus ac Antiocheni et SyroMacedones exordiebantur menses suos Gazæi. Joseph. Scaliger p. 8. proleg. operis de Emend. temp. asserit Gazensium annum mere actiacum fuisse appellationibus mensium Macedonicis mensibus tricenariis. Marcus Ecclesiæ Gazensis Diaconus (inquit Scalig. loco cit.) in actis Porphyrii Episcopi Gazensis vocat Δῖον Novembrem Ἀπελλαῖον Decembrem quæ nomina habent a Macedonibus. Sed idem scribit Gazenses celebrasse Theophaniorum diem 2 Audynæi quæ est 6 Januarii Juliani; se autem rediisse Constantinopolim Xanthici 23. quam ait fuisse 18 Aprilis secundum Romanos quibus ostendit formam illius anni mere actiacam fuisse mensibus tricenariis appellationibus Macedonicis. } Similia prorsus tradit idem Scaliger lib. 1. Can. Isag. hæc Scaligeri divinatio vanissima est falsique eam convincit ipse Marcus Diaconus. docet enim nos in eadem vita apud Surium et Bollandum 25. februarii et apud Baronium in Annal. ad an. 398. n. 99. non quidem Gorpiæum seu Thoth Ægyptiacum et actiacum fuisse primum mensem Gazensium sed Dium his verbis. { Cum autem Deus non pergeret pluere primo mense qui ab iis vocatur Dius, deinde etiam 2.º qui dicitur Apellæus. Errorem Scaligeri arguit Norisius diss. 5 c. 3. p. 406. Sed in similem fere impegit lapidem nam licet agnoscat testimonio Marci certissimum esse primum mensem Gazensium non fuisse Thoth seu Gorpiæum sed Dium, attamen vult eosdem menses fuisse ad modum Ægyptiacorum compositos tricenarios nempe cum Epagomenis. quo fundamento innitur vir clariss. quæso? eodem quo Scaliger innitebatur. at labili super fundamento viri magni ædificium fundatum corruit. quomodo etiam systema et diagramma Norisii subsistere poterunt. Mensis Gazensium Audynæus eodem anni Juliani incipiebat die ac Pharmuthi. Ergo omnes menses Gazensium prorsus conveniebant cum Ægyptiis actiacis, quis dialecticam illam ferre potuerit ac approbare? quidam menses Gazenses incipiebant eodem die ac Ægyptiaci, ergo omnes menses Gazenses prorsus ad formam Ægyptiacam erant dispositi } a pari sic argumentabor. Ex Euthalii Diaconi supra a me contra Norisium vindicato testimonio constat SyroMacedonicum Panæmum eodem mensis Romani Junii incœpisse die ac Ægyptiacum mensem Epiphi. Ergo SyroMacedonici menses erant omnes tricenarii cum Epagomenis ad formam Ægyptiacam ordinati. Ergo Epagomenas in fine anni servarunt SyroMacedones. Negabitur ab omnibus deducta conclusio. quam disparitatem afferre possit magnus Norisius ego pusillus non video. } Sed aliud nobis objicit criticus celeber. p. 406 quod Gazenses, inquit, diutius sub regno Ptolomæorum fuerant (a Ptolemæo nempe Lagi filio usque ad Ptolemæum Epiphanem

cui hanc urbem cum omni Phœnice, Cœlesyria et Palæstina abstulit Antiochus Magnus) qui cum proximis Ægyptiis (Gazenses inquam) convenirent decem priores anni menses una cum mensibus Ægyptiorum inchoabant, verum cum more Syro Macedonum quorum mensibus utebantur annum ab autumno deducerent, cum Ægyptii annum suum a die 29 Augusti auspicarentur, ac proinde diversis mensibus dies Epagomenorum superadducerent, Gazenses Gorpiæum et Hyperberetæum non exordiebantur una cum mensibus Thoth et Paophi Ægyptiorum. hucusque Norisius, qui conjecturis indulget quam maxime. unde nam expiscatus est omnia ista mira quæ tradit? quis ipsi deficientibus antiquitatis monumentis Diagramma istud anni Gazæi revelavit. sed ni fallor, conjecturæ illæ utroque poplite claudicant. nam sub priscis illis Ptolemæis annus Ægyptiacus vagus erat per omnes tempestates et dies solaris anni errans. at Gazæorum annus fixus erat, incipiens semper more Syro Macedonum ab autumno, ut vult Noris. quid igitur communis et convenientiæ habere potuissent annus Syromacedonicus fixus et Ægyptiacus vagus. nihil prorsus. sed divinat Norisius ideo a mense Dio incæpisse annum Gazæum quia Dius erat primus mensis anni Syro Macedonum. at ipsemet Norisius fatetur Hyperberetæum fuisse primum mensem Epochæ Seleucidarum et Syro Macedonum, imo Tyrii Palæstini Syrique multi auspicabantur annum ab Hyperberetæo. Ergo nihil ex conjecturis istis concludere potest Norisius quod verisimilitudinis tantillum habeat. Demum ipse Marcus Diaconus Diagramma anni Gazæi a Noriso suppositi funditus convellit dum istam Gazensium mensium regulam proponit his verbis. est autem apud eos Audynæus, apud Romanos Januarius; præcedunt autem quinque diebus menses eorum menses Romanos. hæc regula mensibus omnibus convenire debet. non loquitur Marcus de Audynæo sed de singulis mensibus: præcedunt autem quinque diebus eorum menses menses Romanos. at multoties contra regulam propositam peccat Diagramma Norisii. primus et secundus mensis præcedunt Romanos tantum diebus 4. Lous præcedit Augustum diebus 7. Gorpiæus præcedit Septembrem diebus 8. Hyperberetæus pariter diebus 8 præcedit Octobrem. melius tradiderat usserius et rectius viderat in annal. ad an. 3944. primum mensem Gazenses auspicatos esse die 27. 8.bris et quod eorum menses teste Marco diebus quinque præcederent Romanos menses. Epagomenas vero in fine anni Gazæorum servatas fuisse supponit audacter Norisius ut rem certissimam p. 408. licet nihil præter autoritatem suam privatam afferat ut systema suum firmet.

hic præterea lectorem moneo acta illa S. Porphyrii quæ circumferuntur non esse genuinum opus Marci Diaconi, licet hactenus ea tanti fuerint viris maximis quos demiror, nam ipsomet fatente Baronio in notis ad Martyrologium Romanum hæc acta non habemus jam nisi a Simeone Metaphraste a quo sua hauserunt Lipomanus et Surius. Metaphrastes autem ille sua quamplurima et absurda in opusculum Marci infarsit. an etenim individuus Porphyrii comes Marcus scribere potuit quod capite 2 legimus S. Præsulem ad Presbyteratus ordinem fuisse

promotum a Praylio Episcopo Hierosolymitano qui Creatus fuit tantum Episcopus anno 417 tribus Annis saltem ante obitum Porphyrii Episcopi Gazæ. id non fugit Baronium qui audacter Praylium in Cyrillum Mutandum esse Ex tripode pronuntiat, quod mihi non fit verisimile, et Nescio utrum hoc ulli persuadere potuerit Baronius toties eodem modo librarios errasse. Nomen enim Praylii non semel sed multoties Constanter retinet. quidquid sit hæc Emendatio Viro Maximo nihil profecit. Nam Cap. 2. hujus Vitæ legitur Porphyrium annos 40 natum fuisse a Praylio Episcopo Hierosolymitano Presbyterum ordinatum, et annis abhinc tribus missum ab Eodem Praylio Cæsaream ad Joannem qui ipsum Consecravit Episcopum Gazensem Annos Natum 43. Cum jam Imperaret Arcadius Mortuo Theodosio. i.e. minimum Anno 395. igitur Porphyrius non fuit ordinatus Presbyter ante annum 392 Cum tunc ante Annos sex, ut ipsemet Statuit Baronius obiisset Cyrillus Hierosolymitanus non itaque Cyrillus sed Joannes Episcopus Hierosolymitanus Porphyrium Ordinavit Presbyterum. Verum Cum Marcus omisisset Nomen Episcopi, id de suo supplere Conatus est Simeon Vir priscæ Chronologiæ imperitus et stupendo Errore tempora Praylii Cum temporibus prædecessoris Ejus Joannis Confudit. Non omnia itaque in hac Metaphrasi seu potius paraphrasi recipienda, sed ad Examen singula revocanda sunt. nihilo tamen Minus quæ ibidem de Anno et Mensibus Gazæorum leguntur admittimus. hæc enim Metaphrastes divinare aut è Cerebro suo Confingere non potuit, Cum ipsius Simeonis Ævo neque vel levissima hujus prisci usus superessent Vestigia inter ipsosmet Gazæos, quorum oppidum a Sarracenis Occupatum primis Islamismi Annis a paucissimis tunc Christianis et Antiquitatis plane rudibus incolebatur.

Initium Epochæ Vulgatæ Gazensium servavit Nobis auctor Chronici Pascalis seu Alexandrini. ait enim Anno 4. Olympiadis 179. hinc Gazæi tempora sua putant ab Anno Nempe quo restituta fuit hæc urbs a Gabinio Syriæ Proconsule. Gazam diruerat Alexander Jannæus rex Judæorum ut Scribit Joseph. Ant. l. 13. c. 21. postea Cicerone Consule Anno urbis C. 691. Pompeius Expugnata Hierosolyma Judæos populi Romani fecit Vectigales, iisque intra Veteres terminos Coercitis ipsis multa Palæstinæ oppida et interea Gazam abstulit, quam libertate donavit, eique suis legibus uti permisit, ut docet nos laudatus Josephus Ant. l. 2. c. 8. Deserta tunc erat Gaza ut idem Docet nos Josephus l. 14. Antiq. c. 10 qui eo loci tradit Gabinium proconsulem aliquanto tempore post discessum Pompeii Gazam instaurandam Curasse. Gazæi itaque non a die quo decretum Emiserat Pompeius de eorum αὐτονομία et liberatione a populo judaico Epocham suam Numerabant, sed a die quo dedicata pro more fuit eorum urbs restituta è ruinis. Assertionem Chronographi Alexandrini sic firmat Norisius p. 410 Ex Marco Gazensi. Scribit ille S. Porphyrium obiisse die 2° Dystri Anno Gazensium 480 Episcopatus ab eo gesti 24 Mense 2 quare Porphyrii Consecratio Contigit Anno Gazensium 455. Vere Circiter ineunte sive ineunte Scilicet Xanthico, labente Martio, Nam Porphyrius qui Episcopus fuit annos 24 menses XI. obiit die 2. Dystri } idem Vero Marcus Narrat, Mortuo Andrea Episcopo

Gazæ, ob Exortæ de novi Episcopi designatione dissidia, Communi Consilio quinque Ex Clero ac totidem è Laicis Electos qui ad Metropolitam Palæstinæ profecti peterent ab eo Episcopum &c. Pontificatus autem Munus tunc obibat Joannes qui ipse quoque erat vir probus. tum Narrat Joannem Cæsareæ Episcopum re intellecta Porphyrium Hierosolymis ubi degebat ad se Evocasse, cui idem Marcus Comitem se addidit. Ma autem die, inquit, profecti sumus Cæsaream. Cum autem id audivisset B. Joannes Archiepiscopus Cursu ad nos accessit, statimque Porphyrii Ordinationem recitat. | hæc autem Porphyrii Ordinatio Contigit post An. Chr. 394 siquidem in Synodo Celebrata Constantinopoli, in Controversia de Episcopatu Bostrorum in Arabia hæc initio leguntur: in Consulatu religiosissimorum et Dei Amantissimorum Imperatorum NN. Flavii Arcadii Aug. 3. Honorii 2. 3. Kal. Octobr. &c. sedentibus sanctissimis Episcopis Nectario Constantinopolis, Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, Palladio Cæsareæ Cappadociæ, Gelasio Cæsareæ Palæstinæ &c. Consulatus 3. ac 2. Augustorum fratrum est index An. Chr. 394. V. R. 1147. quo die 29 Sept. Gelasius archiepiscopus Cæsareæ Palæstinæ memoratæ Synodo Constantinopolitanæ interfuit. | Ejus acta habentur inter opera Theodori Balzamonis p. 761. Edit. Gr. lat. Paris et Exinde to. 2. Conc. Gener. Edit. Labb. Col. 1151. hinc patet Exeunte Septembri An. Chr. 394. nondum Joannem fuisse Metropolitam Cæsareæ in Palæstinâ, Ejusdem decessore Gelazio adhuc superstite, quem etiam viventem laudat S. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. Ex his manifeste Colligimus Epocham Gazensium initium habuisse post Annum V. R. 692. nam a die 28. 8bris hujusce anni Numerandos annos 455 quorum postremo subinitium veris Porphyrium a Joanne Metropolita Cæsariensi ordinatum ostendimus ad annum urbis 1147. Christi 394. quo Gelazius Exeunte Septembri adhuc erat Cæsareæ in Palæstinâ Episcopus ac præsens aderat Constantinopoli in Synodo. | hucusque Norisius qui præterea Contra Scaligerum Ostendit et Harduinum Epocham Gazensium non Cæpisse ante V. R. 691 quo Pompeius erat in Syriâ liberamque fecit Gazam | idenim demonstratur Ex Numno Plautillæ Augustæ in Gaza regia asservato Cujus iconem accepit a Viro Clariss. Andrea Morellio. in Anticâ parte visitur Caput Plautillæ cum hac inscriptione ΦΟΥΛΟΥΙΑΝ ΠΛΑΥΤΙΛΛΑΝ CEB. et in Posticâ figuræ Deorum Apollinis et Dianæ. Cum hac inscriptione ΓΑΖΑ et ΔΞC. anno 264. Jam vero si Epocha Gazensium juxta sententiam Scaligeri et Harduini iniisset anno V. C. 691 Annus Ejusdem Epochæ 264 in Plautillæ nummo obsignatus existet labente Octobri An. Chr. 202 Cum nondum Plautilla Augusta esset et uxor Antonini. nam testatur Dio Senator et Severo familiaris initio l. 76 p. 859 eodem Anno Celebratas fuisse Nuptias Antonini filii Ejusdem Severi cum Plautilla Plautiani filia, quo Laudatus Imperator Romæ, postquam Ex Ægypto.

et Syria reversus est solvit Vota decennalia (secunda nempe prioribus solutis) susceptis, postquam annum XI tribunitiæ potestatis attigit. i.e. post medium Mensem Aprilem anni 203. nummusque idcirco Plautillæ Augustæ cudi non potuit anno 202. | Ejusdem Nummi auxilio Norisius egregie Confutat Bollandum qui Caput æræ Gazensis deducit ab anno V.R. 696 nam annus in Nummo signatus 264 cœpisset a fine Octobris anni V.R. 959 Chr. 205. Plautiano ante Mens annum occiso et filia Plautilla in Exilium deportata. | Certissimum igitur est Epocham Vulgatam Gazæ cœpisse ab autumno anni 693. V. R. quasti vero Olympiadis 179 prout optime Notatur apud Anonymum auctorem Chronici Alexandrini seu et Paschalis qui hanc Epocham ex aliquo antiquo et probo Scriptore Expiscatus est. Scio Chronographum istum plerumque uno saltem anno Olympiadum Computum Vulgatum et receptum antevertere, ita ut ipsi annus 4.us olympiadis 179 Nobis sit annus 3.us sed idiota iste non semper omnia hypothesibus suis aptat; Multosque Caracteres Chronologicos admittit inter se nequaquam Convenientes. | Varia enim Ex diversis auctoribus Exscripsit et in unum Coacervavit. Mensem Dium primum fuisse anni Civilis Gazæorum testimonio Marci patet æram tamen Pompeianam seu Civilem Gazæorum, ut opinor, Cœpisse ab Hyperberetæo, sicut apud Antiochenos, nec aliud initium fuisse Epochis istis ab æra Seleuci darum principio.

Alii Nummi reperiuntur Epocha Gazæa Notati in Cimeliarchio Regio, in Cujusdam qui Majoris est moduli antica Visitur hæc inscriptio ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟC et in Postica Icones Apollinis et Dianæ cum hac Epigraphe ΑΖΑΜΑΡΝΑ. huic Geminum Nummum, ut asseverat Noris. p. 417 obtinet Joseph Magna Vacca Bononiensis in quo legitur cum iisdem figuris ΓΑΖΑ ΜΑΡΝΑ. Cæterum Vox μαρνα quæ legitur in Epigraphe Postica Nummorum Gazensium Nomen est summi ipsorum Dei, ut testatur S. Hieronym. Ep. ad Lætam. ubi enim to. 1. Col. 55 Edit. Nivell. ait: jam et Ægyptius serapis Christianus factus est: Marnas Gazæ luget inclusus. et in vita S. Hilarion. Ejusd tom. Col. 327. Italicus Ejusdem oppidi municeps adversus Gazensem Duum Virum Marnæ idolo deditum Circenses Equos Nutriebat. | ead in Vita Col. seq. Clamor fit Vulgi Nimius, ita ut Ethnici quoque Concreparent. Marnas victus a Christo est. id. l. 7. Comm. in Esai. Col. 7. to. 4. Serapium Alexandriæ et Marnæ templum Gazæ in Ecclesias Domini surrexerunt. | Serapis Alexandrinorum summus erat Deus sicut Marna Gazensium. Testimonia Hieronym. illustrat Coævus sancto Doctori Marcus jam multoties laudatus in vita S. Porphyrii Episcopi. erant autem, inquit, in Civitate (Gaza) simulachrorum publica templa octo nempe solis et Veneris et Apollinis et Proserpinæ et Hecates quod dicebatur Hiereon seu sacerdotum et fortunæ Civitatis quod vocabant Typheon et Marnion i.e. templum Marnæ quod dicebatur Critægeneris (emenda Critagenis) Jovis quod

Existimabant esse gloriosius omnibus templis quæ sunt ubique. | Jupiter Critagenes idem
itaque erat ac Marna. in Nummo Græco apud Tristan. to. 2 p. 240 dicitur ΖΕΥΣ
ΚΡΙΤΑΓΕΝΗΣ Jupiter in Creta natus in versione latina Opusc. Marci ubi legitur
Critægeneris pro Critagenis error irrepsit lapsu librariorum non interpretis quem
immerito suggillat Norisius p. 439. in Authentico Græco scriptum fuit ΚΡΙΤΑΓΕ
ΝΕΟΣ vel Contracte ΚΡΙΤΑΓΕΝΟΥΣ fateor sed hæc vox Critagenes ad linguam
latinam translata facit Critagenis in Genitivo, sicuti Diogenes Diogenis. recte inter
pres servavit Nomen proprium Critagenis. nec reponendum est, ut vult insignis Criti
cus Veronensis: Jovis in Creta Nati. | Concinit Marco Stephanus l. de urbibus in voce
Γάζα ait enim ἔνθεν καὶ, τὸ τοῦ Κρηταίου Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι ὃ καὶ κατ' ἡμᾶς
ἐκάλουν Μάρναν ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ; unde et Cretensis Jovis templum
apud ipsos est, qui apud Nos vocatur Marnas, quod idem est ac Critagenes, addit
Stephanus τὰς παρθένους γὰρ οὕτω Κρῆτες προσαγορεύουσι Μάρναν virgines enim
sic Cretenses appellant Marnam. ridicula est hæc interpretatio, quam tamen po-
tius tribuerem Epitomatori quam primævo Auctori erudito Stephano. in Ejus ~~vocis~~
vocis interpretatione pariter Hallucinatos esse viros Maximos Seldenum de Diis
Syris Syntag. 2. c. 1. et Bochartum lib. 1. Geogr. Sacræ Canaan. c. 15 et l. 2. c. 12 –
audacter assero, licet illis subscribat Norisius. Marnas, aiunt Eximii viri scribi debet
מרנש Marnasch sive מרנשא Marnascha sonatque apud Syros idem ac apud
latinos Dominus hominum. | Errant, nam littera finalis S quæ voci Marna in
Nominandi Casu adjuncta videtur apud Hieron. in Vit. S. Hilarionis additur Nomini
Syriaco Marna Græcorum et latinorum More qui Nominibus hebræis et Syris
per A terminatis addunt litteram S sic dicunt illi Adonias, Elias, Zechias &c
ubi in hebræis et Syris fontibus in Originaria lingua Nullum reperitur Samech
vel Sade, vel Sin vel Schin. litteram S Nomini Marnæ additam esse Certis
simum est testesque adduco Gazæos ipsos qui in Nominandi Casu non dicunt Mar
nas sed Marna. in Nummo Regio Maximi Moduli scribunt ΜΑΡΝΑ non ΜΑΡΝΑΣ
Eodem modo hæc vox scribitur in Nummo Musei Magna Vaccani teste Noris. p. 417
et Eodem modo pariter in Nominandi Casu hanc vocem scribit Marcus in Vita
S. Porphyrii apud Baron. ad An. 398 num. 99 his verbis: | Nobis, aiunt ibidem Gazæi
responsum dedit Marna fore ut Porphyrius esset auctor Malorum Civitati. Cum
igitur pessimo fundamento innitatur Doctissimorum virorum interpretatio, ipsa etiam
falsa est. | Jupiter Critagenes non dicebatur a Gazæis Marnascha Dominus hominum
sed מרנא Marna Dominus Noster, Cognomenque istud optime Deum summum Expri-
mit. hæc vox hebræis Characteribus Expressa מָרַנָא et Syriacis [illegible] ipsa met in
Bibliis Sacris Syriacis ponitur pro Nomine tetragrammato Jehova vel Jao aut Javo
juxta veterem pronuntiationem יהוה Marcus hæc subjicit aliquot interjectis
lineis: Cum autem Deus non pergeret pluere ..... Congregati idololatræ in Marneo
multa sacrificia et multas preces offerebant ea de Causa. dicebant enim Marnam
esse Dominum Imbrium. Marnam vero dicunt esse Jovem, Jovem Dominum esse

Imbrium Arbitrabantur Veteres ut et imprimis Virgilius in Georgicis qui etiam Jovem pro pluvia accipit. Poetarum Principis pulcherrimum Distichon citabo tantum hoc loci

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula mane.
divisum imperium Cum Jove Cæsar habet.

at Epiphanius ipse Syrus et Marco Diacono Coævus ei et nobis adversari videtur in Ancorato n. 108 ait enim sub finem. Colitur καὶ Μαρνᾶς δοῦλος Ἀστερίου τοῦ Κρητὸς παρὰ Γαζαίοις et Marnas servus Asterii Cretensis apud Gazæos. Verum Epiphanius non negat imo innuit Marnam Jovem fuisse, Cum eundem Cretensem faciat. quod quod initio hujus Numeri 108 ~~tria~~ licet asserat Joves 4 extitisse, tres solum ab eo memorantur Κρονίδης scilicet, i.e. Saturnius παλαίσιος vel λαλιάσιος a quo Gladiatores Originem acceperant. tertius demum Τραγωδός Tragœdus. restat ut quartus sit Marnas. Epiphanio Concinit Diodorus sic. l. 4 p. 262 et sequ. ait enim τοῦ (Ἀστερίου) βασιλεύοντος ἐν τῇ Κρήτῃ Ζεὺς, ὥς φασιν Εὐρώπην ἁρπάσας ἐκ Φοινίκης, καὶ διακομίσας εἰς Κρήτην ἐπὶ ταύρου μιγεὶς αὐτῇ τρεῖς υἱοὺς ἐγέννησε quo Asterio Regnante in Creta Jupiter ut proditum est, ablatam e Phœnicia Europen super Tauro in Cretam transvexit eique Commixtus tres filios genuit addit ~~Asterius~~ Diodorus Asterium postea duxisse Europam uxorem, sed nullis ex eâ liberis procreatis filios Jovis adoptasse et Heredes Regni reliquisse. Jupiter itaque Critagenes seu Marna Gazæorum nunquam juxta Diodorum Rex fuit sed subditus Asterii Cretensis, idcirco dicitur Epiphanio δοῦλος qua voce ἀκόλουθοι, διάκονοι, ὑπηρέται, ἱδαλεῖς ut docet nos Athenæus l. 6. ex Clitarchi Glossis intelliguntur.

Dixi supra in Nummo Maximi Moduli ex Cimeliarchio regio producto videri Icones Apollinis et Dianæ. nonnulli, ut ait Noris. hic non Apollinem sed Marnam Exprimi volunt. ipsos Errare non dubito. nam figura quæ ibi sculpta est nuda apparet et imberbis, at Jupiter barbatus et quidem rigente barba decoratus Effingitur. Apollo vero in Nummis Syrorum apud Vaillant in hist. Reg. Syriæ nudus et imberbis apparet. idcirco Lucianus ait tract. de sacrificiis ἀναπλάττουσι μὲν γενειῶντα τὸν Δία παῖδα δ' ἐς ἀεὶ τὸν Ἀπόλλωνα. præterea sub brachio sinistro tenet hæc figura absque fune Arcum qui Apollini Convenit non Jovi. Apollo, ut testis est Marcus templo et simulachro peculiaria Gazensibus colebatur. Cultus ille apud ipsos Antiquus erat. nam Joseph. l. 13. ant. c. 21 narrat Alexandrum Jannæum Regem judæorum quingentos senatores Gazensium qui in templum Apollinis Confugerant trucidasse. in Nummo regio laudato Apollini adstat soror ejus Diana, veste venatoria brevissima poplite nuda tenus, ut Claudianus l. 2 de raptu proserpinæ venatricem Dianam describit. ipsius solius Dianæ icon in postica Numismatis Reginæ Christinæ Edit. a Noris. p. 424 visitur et eodem plane habitu ac in Nummis regio habet tamen hæc Dea ad pedes sibi sacratum Cervum in Nummo Reginæ.

templum et simulachrum obtinebat apud Gazaeos, teste Marco, Diana quam appellat Scriptor iste Hecaten at Nomine Hecates Dianam et lunam intellectas esse constat. Jalium e gaza regia Nummum Adriani Sinistrorsus delineatum producit Norisius p. 417. in quo neque vox Marna neque figura Apollinis vel Dianae visitur Sed duae figurae Mulieubres cum hac Epigraphe ΓΑΖΑ ΕΙΩ duae sunt distinctae voces quae una legi non debent γαζαιων addita littera υ nam dici nequit γαζαειων sed γαζαίων αι vero dipphtongus est, cujus ambae litterae omnino intra se recipere non possunt aliam vocalem puta ε Vidimus supra in Nummo Majoris Moduli duas voces sculptas unam ΓΑΖΑ alteram ΜΑΡΝΑ at in hoc minoris moduli loco Marna legitur ΕΙΩ, Jo seu Isis nempe summo cultu adorata a Gazensibus, quorum urbs teste Stephano op. de urbibus in voce Γαζα appellata est Ione. propterea quod et illuc Jo ad navigaverit, ibique morata fuerit ἐκλήθη δὲ καὶ Ἰώνη ἐκ τῆς Ἰοῦς προσπλευσάσης καὶ μεινάσης ἐκεῖ. nec obstat quod in Nummo Nomen ΕΙΩ scribatur per ΕΙ licet Orthographia requirat ut scribatur per simplex Ι. nam Nomen Isidis scribitur etiam per ΕΙ in Epigrammate apud Gruterum p. 75 n. 1. ΕΙCΙΔΙ scilicet pro Isidi. Isis autem eadem ac Io, Ἰσιδος καὶ Ἰοῦς λεγομένης ut habet Epiphanius in Ancorato n. 106 cui suffragatur Apollodorus l. 2. Bibl. Deorum his verbis. Αἰγύπτιοι τὴν Ἰὼ Ἶσιν προσηγόρευον Nummi hujus Epigraphe quae primum recte lecta est ab Antonio Maria Salvino linguae Graecae in Academia Florentina professore mire illustrat Stephani locum mox citatum. Norisius autem hanc interpretationem referens p. 423 eam Salvino adjudicat. Vir enim Candidus suum unicuique tribuit, sed vereor ne ipse non bene duas figuras Muliebres agnoverit, arbitratur enim figuram Muliebrem quae in sinistra parte Numi cum Cornu copiae visitur esse Gazam urbem quia a tergo ejusdem figurae legitur haec vox ΓΑΖΑ alteram vero figuram Muliebrem Ioonem esse ius eo quod a tergo exaratam habeat hanc vocem ΕΙΩ. Sed haec ratio nullius ponderis est. nam in Postica regii Nummi Magni Moduli a tergo Dianae legitur haec vox ΓΑΖΑ et a tergo Apollinis ΜΑΡΝΑ at Marna Jupiter est non Apollo. Miror etiam eruditissimum Antiquarium Norisium dicere posse figuram a sinistra parte posticae Nummi Minoris Moduli de quo hic agitur repraesentare Mulierem turritam, nam super sincipite habet tantum modiolum seu Calathum; nam Capiti Idolorum seu Iconum Deorum et Dearum quasi divinitatis symbolum Calathus superimponebatur, quod obvium est in Nummis. in iis autem qui ab ipsomet Norisio fuere editi multoties idem visitur. pag. enim 391 Exhibet Nummum Botryenorum in cujus postica intra templum Idolum muliebre apparet, cujus Capiti Calathus superpositus eodem ornamento Dea seu Τύχη Genium bibliorum in Monte sedens decoratur non turri ut autumat Noris. p. 394. Cujusdam ignoti in Nummis pariter Calatho Caput ornatur

ornatur in Nummo Sebastenorum p. 443 item 444. in Numismate visitur Icon Dianæ Ephesiæ cum Calatho seu modiolo super Capite, spicisque in manu et p. 457. Ejusdem Deæ in Numismate icon visitur cum ornamento simili et duobus cervis ad pedes p. 463. Exarata est in primo Nummo figura Hygiæ cum simili ornamento Capitis. praeterea p. 283 Exhibetur Nummus Gordiani 3 ab Epiphaniis Ciliciæ in cujus postica Exarata est figura Serapidis cujus Capiti superpositus est Calathus dextrâ patellam porrigit, sinistra hastam tenet, nam ut breviator Trogi ait l. 43. ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere. ob cujus religionis memoriam adhuc simulachris Deorum hastæ adduntur. Serapidis vero ad pedes jacet Cerberus p. 288 in Nummis Rassainensium postica ejusdem Serapidis sculpta est icon super Capite Calathum gestat, dextra patellam quasi porrigit sinistra Cornu Copiæ tenet. demum p. 43 Noris. Nummum alium Exhibet in quo sculptum apparet desuper ornatum Calatho Caput Serapidis cujus vertex, ut docet nos Macrob. Saturn. l. 1. c. 20 insignitus Calatho et altitudinem syderis (Solis qui et Serapis) monstrat et potentiam Capacitatis ostentat. Subdit paucis interjectis laudatus Scriptor. Ex his apparet Serapis ac Solis individuam esse Naturam Isis juncta religione celebratur, idcirco sæpius Isidis vertex Calatho insignitus visitur, ut in Nummis Gazæorum et quidem in Nummo ex Regiis Cimeliis multoties laudato producto que a Norisio nec ipse diffiteri poterit. nam ejusdem typi videntur alii Nummi. in isto vero a Norisio non visis unquam figura illa muliebris prætér Calathum in vertice et Cornu Copiæ in sua sinistra ad pedes habet juvencam exiguis et brevioribus Cornibus præditam. Isis igitur seu Io figura ista repræsentatur. nam ut testatur Herodotus in Euterpe c. 41. boves mares eosdemque mundos ac vitulos universi Ægyptii immolant. at fœminas eis immolare non licet, ut pote Isidi consecratas. pari ratione ad pedes Dianæ in Nummis Exarabant cervos ut pote Dianæ consecratos. nec obstat quod capite mox citato Herodotus subjiciat Isidis simulachrum muliebre esse bubulis Cornibus præditum, quemadmodum Io Græci describunt, nam non semper bubulis Cornibus Io apparebat. Sicut enim Dianæ Caput in Nummis videtur sæpe insignitam Cornibus Lunæ Crescentis, ut in Nummo ex Gaza regia producto a Noris. p. 439 aliquando Capite nudo visitur, sic Io vel Isis modo bubulis Cornibus prædita effingebatur, modo Calatho insignita in vertice. nec Concludere debemus hanc figuram non repræsentare Isidem sed solam urbem Gazam, eo quod in quibusdam Nummis turribus Coronata appareat. Norisius etenim ipse edidit Nummum Docimæorum Dissert. 40 c. 3 p. 10 in quo visitur Icon Deæ Cybeles multis turribus Coronatæ, leonique sibi sacræ insidentis. pariter Capite turrito semper a veteribus ubique turrita Cybele quæ eadem erat prorsus ac Ægyptiaca Isis, ut docte probat Vossius de Theol. Gent. l. 2. c. 46 auctor etiam tractatus de Dea Syra apud Lucianum p. 1070 Edit. Par.

in fol. testatur Ejusdem Deæ Vertici turrim unicam Semper impositam fuisse. mulíebri itaque illa figura in regio de quo agitur Nummo Exarata repræsentatur Iso seu Isis manu sinistra Cornu Copiæ prehendens. Dea enim erat frugifera, ut passim in Veteribus appellatur Monumentis, vel fructifera, ut in inscriptione apud Gruterum p. 83. n. 10. | Sic Regina Syriæ Cleopatra quæ Dea dicebatur, ut liquet Ex Nummo Edito a Vaillant. hist. Reg. Syr. p. 336. Cum Ægyptia esset Coli tanquam Nova Isis Dea Voluit | idcirco in alio Nummo apud laudatum Vaillantium Ejusd. op. p. 257 Edito Cleopatræ Caput insignitum Calatho visitur et a tergo sculptum est Cornu Copiæ Symbola inquam Deæ frugiferæ Isidis idem optime Vidit jam insignis Antiquarius Vaillantius nam pag. 329 hist Reg. Syriæ recitat Alexandri Zabinæ Nummum in cujus aversa parte stat figura Muliebris Cum modio seu Calatho in Capite dextra temonem Sinistrâ Cornu Copiæ tenens. | figura Muliebris (inquit Vaillantius) stans cum temone et Cornu Copiæ Isis est modio insignita qualem Osiris vel filius vel mater solet gestare. et paulo post Isis Servio et Macrobio terra vel Natura rerum est Osiris. Plutarcho Sol, terra subjacet Soli, ideo Isidi modius datus est Veluti frugum insigne ut et Cornu Copiæ ad rerum omnium abundantiam indicandam. Hucusque Vaillantius Cujus Verbis addendum duxi Isidis Icones in Nummis non semper temonem gestantes apparere; imo Cum Gubernaculo seu temone et cornu Copiæ fortunæ Simulachra a Veteribus fingebantur, ut docet nos Lactantius Instit. l. 3. c. 29. | Pausanias etiam in Messeniacis tradit Bupalum primum omnium Simulachrum fortunæ finxisse, altera quidem Manu Cornu Copiæ, quod Græci Amaltheæ Vocant tenentem fecisse. at Capiti fortunæ non Calathus impositus fuit, imo Polus, ut eodem loci asserit laudatus Pausanias ipsa met Dea Isis fructifera una eademque fuit ac proserpina, ut Censebant Veteres testanturque duo Antiquissimi Scriptores Archemachus Euboicus et Heraclides Ponticus apud Plutarchum tract. de Osiride et Iside to. 2. p. 361 Edit francofort. Græc. lat. unde Colligo templum proserpinæ quod Gazæ Extitisse testatur Marcus Diaconus fuisse dicatum Iso sive Isidi, quæ alioquin templo Caruisset apud Illos cives adeo Illi devotos ut in Nummis suis Ejusdem Deæ Nomen Exprimerent, quod quod ab Io urbs eorum denominationem ΙΩΝΗΣ acceperat.

Præter Æram Vulgatam Gazæorum et Communem superius Explicatam alia apud ipsos usitata fuit sub Imperio Adriani, ut Ex Nummis primus Vidit Eruditiss. Nicolaus Toinardus Aurelianensis mihi Amicitia Conjunctissimus, ut eam reperit statim Vir humanissimus Communicavit Amicis et Imprimis Norisio. at reperta a Toinardo displicent Clariss. Critico et Antiquario utrum jure an injuria, mox Videbimus. [Nummos rariores ista Epocha Notatos sic describit ipse Norisius p. 420 et 421. in Nummo regio Majoris Moduli Hadriani Imperatoris ubi legitur ΕΠΙ ΔΡΡ i. e. anno 194 Epochæ Gazensium ante præpositionem ΕΠΙ una littera detrita est, siquidem in simili Nummo apud Josephum Magna Vaccam bononiensem Δ ΕΠΙ ΓϘΡ et sane prioris

litteræ defectus Colligitur Ex alio delineato Nummo inscripto ΑΥ. ΤΡ. ΑΔΡΙΑΝΟC ó Imperator Cæsar Trajanus Adrianus. posterius vero ΓΑΖΑ ΕΙΩ. Cum duabus figuris Mulie bribus et subtus ΔΕΠΙ ΓϘΡ. præterea in Eodem Regis Christianissimi Cimeliarchio servatur parvus Nummus Cum Antica Epigraphe ΑΥ. ΤΡ. ΑΔΡΙΑΝ. et retrorsus Cum Hercule innixo Clavæ ΓΑΖΑ ΓΕΠΙ ΒϘΡ ex quibus in regio Nummo Maximi moduli quem hic Expono littera E reponenda Colligitur. itaque hoc annorum ordine tres illi Nummi apud Gazam sculpti recensendi sunt. in priori quidem parvo ΓΕΠΙ. ΒϘΡ in altero ΔΕΠΙ ΓϘΡ in tertio denique Maximo ΕΕΠΙ ΔϘΡ in primo signatur Annus Epochæ Gazensium CXCII qui una Cum mense Dio Cæpit die 28. (potius 27.) octobris. An. U. R. 884. Imperii Adriani 15.° unde et deo alii descripti Nummi Cum annis Ejusdem Epochæ 193 et 194 optime intelliguntur. Nemo id genus Nummos inquit Norisius hactenus aut protulit aut Exposuit, et sane haud ita facile assequi possumus quid illæ litteræ præpositioni επι præpositæ significent. ipsa quidem præpositio επι tempus ibidem indicat. (Dionys. Halicarn. l. 2 Scribit Romam Conditam ἐπὶ τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος unde επι ΔϘΡ idem est ac Epochæ Gazensium An. 194. at priores litteræ Negotium facessunt Equidem facilior earumdem Explicatio est, si dicantur esse Notæ Monetarii qui singulis essdem Annis ordinatim variabat Ex quo Cudendæ apud Gazam Monetæ munus susceperat.

Hac Explicatione quam faciliorem Norisius appellat Convellitur Explicatio Nummorum Antiochensium et Seleucensium quam ipse affert p. 216. pag. autem 215 et 216 recitat horum Nummorum Sub Tiberio Cusorum Epigrammata. postica Α ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΜ. et alterius hujus Γ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. in utroque Nummo, inquit Noris, signantur Anni Imperitantis Tiberii et Anni insuper Epochæ ab Imperio Augusti in Syria. et paucis lineis interjectis audacter sic pronuntiat Vir Clarissimus equidem nisi Contentiosus et Vitiligandi Cupidus negare possit illis litteris A in Nummis Antiochenorum, ac Γ in alio Seleuciensium annum primum ac tertium Principatus Tiberii significari. Cur Monetariis quæso hæ Notæ tribui non poterunt, ut in Nummis Gazensium itaque in tribus eorum Nummis supra laudatis aio a pari signantur anni Epochæ novæ institutæ sub Adriano et anni insuper Epochæ a restauratione urbis sub Gabinio proconsule (equidem Nemo nisi Contentiosus ac Vitiligandi Cupidus negare possit litteris ΓΔΕ in Nummis Gazensium sub Adriano Cusorum annos 3. 4. et 5. Novæ sub Eodem principe Epochæ institutæ significari. et quidem Vir Eruditissimus Effugium assecutum esse tutissimum omnino Confidit, asserit enim reponi posse Gazenses Adriano Syriacas provincias perlustranti adulantes novam quamdam Annorum Epocham instituendam decrevisse eo animo quo idem Imperator Gazam primum adveniens eamdem urbem novis Exemptionibus ac beneficiis ornavit. (hic vero observandum est, pergit Noris. eos annos prioribus litteris

indicatos Cœpisse Numerari anno Epochæ Gazensium 190 V.R. 882 hoc ex recitato Nummo regio demonstratur in quo legitur ΓΕΠΙ ΒϘΡ ubi Cum Annus Gazensium Æræ 192 cum littera Γ Copuletur, Si hæc Nota sit Numeralis anni tertii annus primus littera Numerali Α expressus jungendus est Cum Anno Epochæ Ejusdem urbis ~~190~~ 190 qui Cœpit die 28 Octob. An. V.R. 882 Chr. 129 hoc vero anno Mense Martio Hadrianum fuisse Romæ Colligo Ex l. 4. Digest. tit 3. l. 20 de hæred. petitione ubi Numero 6: hæc recitantur. pridie idus Martias Q. Julius Balbus et P. Juventius Celsus T. Aufidius, Accius Severianus Consules verba fecerunt de his quæ imperator Cæsar Trajani Parthici f. Divi Nervæ N. Hadrianus Augus. Imper Maximus quæ princeps proposuit 5. Non. Mart. quæ proximæ fuerunt, libello Complexus quæ fieri placent. Q. Julius Balbus et P. Juventius Celsus II. Consules Signantur in fastis An. Vrb. a Palilibus 882 Æræ Christi 129 et Ambo Memorantur in Veteri inscriptione A.D. XII K. Mart. Gruteri p. 573. ubi Et Hadrianus dicitur Trib. pot. XII. quam iniit Mense Augusto An. 128. Imp. Cæs. D. Trajani Parthici f. Divi Nervæ Nepos Trajanus Hadrianus Aug. Pont Max Trib. pot. XII. COS. II. P.P. et infra AD XII. K. Mart. P. Juvencio Celso II. Q. Julio Balbo Cos. in laudato Mox Senatus Consulto quod lego citatur ff refertur cum interpretatione Vlpiani Ex l. 13 ad Edictum Balbus Cos. præponitur Collegæ Celso qui Celsus etiam posterior Nominatur ab Idacio in fastis ubi An. V.R. 882 Chr. 129 Scribit Marcello et Celso et ab Autore fastorum Siculorum seu Chronici Pascalis hoc Modo Μαρκέλλου κ̣ Κέλσου imo in Veteri Lateritia inscriptione in Vinea Rondanina Via Tiburtina quam Sic refert Norisius Ex indicatione Clarissimi Fabretti p. 422 Marcellus et Celsus II Cos. Ex Pr. Vlp. Vlpianis al. at Celsus Collegæ præponitur non modo in Epigrammate Gruteriano Sed in fastis Prosperi, Victoris Aquitani et Cassiodori ubi habetur Celso et Marcellino. Sed in optimum fastorum Codicem Ex Bibliot. Cæsarea Editum ad Calcem operis sui de Epochis opinor Mendum librariorum vitio irrepsisse, ibidem enim legitur Marcello II et Marcello II. Nota Numeralis II. uni Soli Ex Consulibus hujus Anni Celso Nempe Competit, igitur alteri immerito tributa est Nota Similis in fastis Cæsareæ bibliothecæ. cum vero Mirus sit fastorum Consensus in Nominando ~~unico~~ Celso et unico Marcello pro Marcello II et Marcello II. legendum ut in lapide viso a Fabretto Marcello et Celso II. Marcellus vero iste idem fuit ac Balbus qui Vocatus fuit Q. Julius Balbus Marcellus, ut Vidit Noris. p. 422 unde etiam recte Concludit Vir Eruditissimus An. Vrb. 882 a Palilibus Seu Chr. 129 die 3. Martii Hadrianum in Senatu de quibusdam ad rem hæreditariam pertinentibus P.C. Sententiam rogasse. Subdit Noris. hæc verba. Imperator paulo post in Asiam profectus est, Siquidem Eusebius, qui libros Chronologicos Phlegontis

liberti Hadriani legit, scribit Antinoum in Nilo semet immersisse, morante in Ægypto Hadriano Anno. 1. olymp. 227. Imp. Hadriani XIII. qui fuit U. R. 883 Chr. 130.

in multis reprehendendus videtur Norisius nam 1° quis ipsum docuit integra Phlegontis opera vidisse Eusebium, si enim ea Cæsariensis præsul perlegit et secutus est quomodo in historia Adriani enarranda toties et tam graviter peccare potuit? nam ut scribit Spartianus c. 16 vitæ Hadriani Phlegontis libri Adriani esse dicuntur, quod tamen intelligendum est de libris solis quos de vita sua scripserat Adrianus et sub nomine Phlegontis publicaverat. sed opus integrum illud nobilissimum Phlegontis Eusebium vidisse probari non potest, nec verisimile est. præterea fallitur omnino Norisius cum tempus Eusebiani Chronici metitur ex annis olympiadum, nam veræ notæ hujus Chronici sunt anni Abrahamitici. at in eodem Chronico tam ex editione Pontaci quam Scaligeri Antinous dicitur mortuus in Ægypto, cum ibidem moraretur Adrianus anno Abrahami 2145. qui cœpit Kal. Octobr. anni 128. et desiit per autumnum anni 129 cum annus primus olymp. 127. curreret a mense Julio præcedenti.| falso itaque supponit Noris Antinoum obiisse in Ægypto juxta sententiam Eusebii anno 130. nam si fidem adhibeamus ejusdem Chronico periit Antinous post mensem Julium et ante initium Octobris anni æræ nostræ 129. at falsissimum est Adrianum moratum esse in Ægypto anno 129 mense Septembri. nam eodem tempore Athenis tanto intervallo dissitis ab Ægypto commorans sacra Eleusinia celebrabat, ut docet nos gravissimus scriptor Dio Cassius l. 69. p. 792 Edit. francofurd. asserit enim Imperatorem istum antequam veniret in Ægyptum ubi amisit puerum Antinoum in Græciam primum venisse, ubi ἐπώπτευσε τὰ μυστήρια his autem verbis ἐποπτεύειν μυστήρια et ἐπόπτης τῶν μυστηρίων veteres celebrationem designant mysteriorum Cereris Eleusiniorum, de quibus cum abunde jam viri docti disseruerint his diutius immorari supervacaneum esset. at mysteria illa celebrabantur mense Boedromione circa æquinoctium autumnale.| testis Demosthenes Olynthiaca 3a. sic etenim Athenienses alloquitur τότε τοῦ μηνὸς eo mense Boedromione vix post mysteria (Cereris nempe) μόλις μετὰ τὰ μυστήρια Charidemum cum decem navibus vacuis ablegastis.| Plutarchus in vita Alexandri tom. primo p. 683 Edit. francof. Gr. lat. porro, inquit, luna defecit mense Boedromione περὶ τὴν τῶν μυστηρίων τῶν Ἀθήνησιν ἀρχὴν circa initium mysteriorum quæ Athenis aguntur undecimo vero a defectionis die pugnatum esse ad Arbelam scribit. hujus eclipseos lunaris diserte meminit Plinius l. 2. c. 7. his verbis: nobili ad Arbelam Alexandri Magni victoria luna defecisse noctis secunda hora prodita est eademque in Sicilia exoriens hæc eclipsis die 21 Septemb. anno 2 olymp. 112 visa est Arbelis post meridiem hora 8. min. 43 et in

Sicilia hora 5. Min. 29 Scrup. 41 ante Solis occasum juxta Petavii Computationem
to. 1. de Doctrina temp. p. 804. addi possent Ejusd. Plutarchi de Mysteriis Eleusiniis
Boedromione Celebratis testimonia ex Vitis Phocionis et Camilli quae brevitatis
Causa praetereo, sed Eleusinia non solum absolute τὰ μυστήρια Nominabantur
sed mensis Boedromion μυστήρια Nuncupabatur ab Atheniensibus, ut docet nos
Galenus l. 4. de Sanitate tuenda c. 8. de abiete loquens. Est igitur ejus pulcherrimum
inquit, semen circa ortum Arcturi quo tempore Romae quidem September vocatus
est mensis apud Nos vero Pergami Hyperberetaeus Ἀθήνησι μυστήρια Athenis vero
Mysteria.) Certum est itaque Mysteria Eleusinia Celebrata fuisse Athenis post
medium Mensem Septembrem. Adrianus, ut ipse Demonstravit Norisius Roma
profectus est Saltem Mense martio anni 129 atqui Eodem anno ἐπώπτευσε τὰ μυστή-
ρια Athenis ultimis diebus Anni Abrahamitici 2145 Ergo Eod. tempore non
poterat simul in Aegypto manere. Antinous idcirco suffocari non potuit in aquis
Nili an. 129. Aerae Christi Abrahamiticoque 2145 ut Scriptum reperitur in Chro-
nico Eusebii, verum Eusebius rerum Gestarum initium ac finem uno tenore plerumq;
recitat, et eidem Anno alligat sic ad annum Abrahami 2117 qui Exiit per autu-
mnum Anni 101. haec apponit Scriptor iste Trajanus de Dacis et Scythis triumphat
sed Trajanus anno 101 bellum aggressus est Contra Dacos et anno Saltem 103 tri-
umphavit de hostibus. pari modo id. Eusebius anno Abrah. 2128 qui Exiit autum-
no 112 apponit ista Trajanus Armeniam, Mesopotamiam fecit Provincias. at
Imperator iste non unius anni spatio sed plurium Expeditiones Armeniacam
assyriacam Parthicamque Confecit, et hoc Saltem Anno 112 in Orientem
ut bellum gereret Contra Armenios profectus est. Sic hadrianus Roma profe-
ctus est et iter aggressus in quo amisit suum Antinoum an. 129 licet Amasius iste
anno 132 perierit nec pili faciendum quod legitur in thesauro Scaligeri in Olym-
piadum et Olympionicorum Anagrapha Antinoum nempe periisse Anno 1 olymp.
227. nam Anagraphe illa nullum alium praeter ipsummet Scaligerum habet
parentem. ipsam cum Citasset Cluverius in descriptione Italiae Antiquae
p. 604. lin. 4. ad haec laudati Cluverii verba, Olympiadum ἀνώνυμος ex Scriptor.
ista Annotavit Clarae memoriae Lucas Holstenius, est Josephi Scaligeri Collectio
et ad pag. 657. l. 2 ubi iterum Cluverius Citavit hanc Collectionem sub Nomine
auctoris Olympiadum, idem holstenius ad hunc locum haec verba Notavit, nil probat,
nam haec Collectio Olympiadum est Josephi Scaligeri Congesta ex variis Graecis la-
tinisque Scriptoribus, idem Agnoverunt alii Critici. (Mira quaedam, ait Thomas
Lydiatus Anglus in Nott. ad Marmoreum Chronicon p. 6. de eo (Archelao rege
Macedonum Comminisci videtur Joseph. Scaliger in sua Olympiadum Anagrapha
et Animadversionibus ad Chronicon Eusebii... nec non sub finem lib. 31. Canonum
chronologiae Isagogicorum.) Suave porro est (inquit Labbaeus to. 1. p. 304. diss. de
Scriptor. Eccl.) quod Meursius Vossius aliique etiam oculatissimi Nostrae aetatis

Scriptores tanquam a prisco aliquo Authore profectam descriptionem Olympiadum et Olympianicarum citant, quae pura puta farrago est ab ipso Scaligero ex editis et ineditis libris coagmentata auctoritatis fere nullius est ista collectio eo quod Scaliger Authores suos nunquam citaverit. Nonnulla itaque ex suo ingenio et conjectura sola apposuisse Scaligerum non dubito, audacior enim vir maximus fuit. Sic cum Chronicon Eusebianum graecum restituere voluisset olim deperditum ejusdem Chronici fere Creator evasit, de quo sic testatur Goarus in Epist. ad Usserium Armachanum Episcopum inter Usserianas n. 289. audens dico et sincerus ait Goarus ad Eusebii Chronici et Latinae Hieronymi verba ex Syncelli verbis et propria Minerva Chronicon plasmavit Scaliger. quo motus. Eusebium reparare voluit. quo ordine? latinae interpretationis cui tamen nonnulla velut e cerebro Palladem novam Coss. nimirum numerum et alia adjungere, quia sic scripsisse somniavit Eusebium non est veritus; de eodem Scaligeri Chronico haec scribit jam laudatus Criticus Lydiates p. cit. 6. Scaliger adstruit initium Regni Archelai Anno 26 citius quam ipse proposuerat tanquam ex Africano in suo commentitio libro priore Chronographiae Eusebii) sed satis superque de Scaligero et ejus Collectione cui soli nempe nullam fidem vir cordatus et prudens adhibere debet.) Athenis Adrianus templa et alia aedificia dedicavit, inde profectus venit in Asiam ibi per singulas Civitates templa dedicavit, item Cappadociam perlustravit in singulis Civitatibus immorans, ut ubique aedificia dedicaret vel construenda curaret, cum regibus vicinis praeterea multa componens ut narrat Spartianus Cap. 18 vitae ejusdem Imperat. Exinde venit in Syriam ibi singulas urbes fere invisit et tandem in Aegyptum venit Anno 15 Imperii sui qui currebat anno 132 Christi usque ad Mensem Augustum (hoc enim demonstratur ex insigni nummo producto a Clarissimo Morellio in specimine universae rei nummariae nummus iste Alexandriae percussus fuit, in ipso expressus est adventus typus et mulier cum galea Elephantina quam Alexandriam denotare probant Numismata Galbae, Vespasiani, Titi, Domitiani, et aliorum in quibus eodem figura cernitur cum adscripto nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ quae mulier in laudato nummo repraesentata Hadriani advenientis manus osculatur cum hac nota LIE anno 15 memorat idem Morellius alium nummum in quo Alexandria Hadrianum in quadriga advenientem salutat cum ead. nota IEXV pervenit igitur Hadrianus Alexandriam anno aerae vulgaris 132 ante Mensem Augustum tum aliquanto tempore elapso in Nilo periit Antinous labente autem anno 133 Imperator ex Aegypto egressus est ut per Syriam et Asiam reverteretur in Italiam, ineunte anno 134. Hadrianus scripsit Epistolam Serviano Consuli, quam refert Vopiscus in vita Saturnini Tyranni, cum non ita pridem Aegyptum reliquisset Hadrianus, ut ex

134 Epistola aperte Colligitur. Servianum autem Consulem Ordinarium processisse
Kal. Jan. an. 134 Certissimum est. Non itaque Gazenses Novam Epocham
instituerunt anno 129 eo quod tunc in eorum urbem venerit Adrianus, qui
longius ab ea tunc aberat. itaque non adeo infelix Conjector Toinardus fuit qui
putavit prioribus illis litteris in Nummis Gazæ Exaratis signari Annos ex
quo Adrianus absens Non præsens, Palæstinam a Diæcesi Syriacæ ac juris
dictione legati apud Antiochiam residentis avulsam speciali præsidi regen
dam Commisit, Sed Norisius hanc Sententiam admittere recusat, qui a ante
Imperium Hadriani Palæstinam a peculiari præside Administratam se
monstrasse Cap. 1. diss. 5. Autumat sed decipitur. | objicit Spartianum C. 14 de
vita Adriani qui hæc tradit: Antiochenses inter hæc ita odio habuit ut Syriam
a Phœnice separare voluerit. Solam Phœnicen Nominat (Subjicit vir clariss.)
quia jam antea Palæstina a jurisdictione Syriæ præsidis avulsa fuerat,
nempe post Arabiam Petræam in Provinciæ formam redactam. Sed falso
Supponit Noris sub Adriano Palæstinam Arabiæ junctam Provinciam factam
fuisse, Trajano Imperante bellum adversus Arabas Cornelius Palma Syriæ
præses Summo Cum Imperio administravit, ut docet nos Dio apud Xiphilinum
in Trajano. | hic Nondum Palæstina (ut optime Concludit ipse Norisius p. 394
a Speciali legato Augusti proprætore regebatur, alias eidem, ut pote
proximam Arabiæ provinciam tenenti bellum Arabicum Commissum fuisset
cum hæc recte Scripserit Norisius Certum que sit ante Trajanum Palæstinam
nequaquam fuisse Provinciam discretam a Syria | Tacitus quidem lib. 2 hist
de Vespasiano et Mutiano Scribit Cæterum hic Syriæ ille Judææ præpositus vicinis
Provinciarum administrationibus invidia discordes Exitu demum Neronis positis odiis
in Medium Consuluere. Provinciæ Nomen non uno sed Multiplici sensu intelli
gebatur. | Vespasianus Judææ præpositus fuerat, Non tanquam Judex aut rector
ordinarius, Sed ut præfectus Extraordinarius et legatus Exercitus ad bellum Judæis
inferendum. Cum autem Provinciæ omnino distinctæ erant, licet una alteri esset
finitima nil Commune nil invicem agendum erat rectoribus, ideo Nulla inter
ipsos invidiæ et Discordiæ Causa, sic Nulla dissidia erant inter Vespasianum
et præfectum Ægypti Tiberium Alexandrum. at tacitus ait Mucianum et
Vespasianum fuisse invidia discordes ob vicinarum Provinciarum administrati-
ones, sed vicinis provinciarum administrationibus, Syriæ Nempe, vicinæ ideo
erant hæ administrationes, quia multa utrique legato erant Communia
unde invidiæ. | Vespasianus Exercitibus præerat et jus gladii in provincia obtinebat
sibi jure Extraordinario a Principe delegato. Mucianus vero toti Syriæ jure
ordinario ut legatus proprætor præerat rector et judex. | Errat Noris Cum Concludit
Ex his Taciti verbis: vicinis provinciarum administrationibus, Judæam fuisse
tunc a Syria discretam prorsus et Separatam. nam cum a Cæsaris procuratoribus
Subjectis legatis Syriæ administraretur Judæa, ipsa provincia appellabatur, et
procuratores illi dicebantur Præsides imperante Nerone. Sic Lysias appellat Felicem
Procuratorem Judææ Præsidem. Claud. Lysias optimo præsidi Felici apud Lucam

136 70

c. 23 act. Apost. et id ipse Lucas ait: ut imponentes Paulum salvum perducerent ad Felicem praesidem et c. 24 idem Felix multoties praesidis nuncupatione decoratur et c. 23 initio Judaea vocatur Provincia: Festus ergo Praeses cum venisset in Provinciam post triduum ascendit in Jerusalem a Caesarea. tunc temporis ut innuit Lucas Caesarea erat caput Judaeae, et ibidem erat Tribunal Caesaris Neronis Paulo ipso teste c. 25 act. Apost. Festo enim Procuratori et ejus Consilio clamat ad Tribunal Caesaris (Caesareae nempe constitutum) et paulo post Caesarem appello. Vides Paulum non legatum Syriae sed Caesarem ipsum appellasse, licet nullus dubitare possit Festum fuisse legato Syriae subditum. post Florum procuratorem rebellantibus judaeis bello jam ingruente a Nerone missus est legatus extraordinarius in Judaeam ad comprimendos rebelles Flav. Vespasianus. deinde expugnatis a Tito Hierosolymis Caesennius Paetus legatus propraetor in Syriam venit. in Palaestinam vero Lucilius Bassus itidem legatus missus fuit sed extraordin. ut Judaicum bellum profligaret ex Joseph. l. 7. de bell. jud. c. 21. et 25. Basso in Provincia demortuo Fulvius Sylva in Palaestinam successor venit qui Massado oppido munitissimo judaico capto bello judaico finem imposuit. itaque cum Caesennius Paetus administraret Syriam Bassus ac dein Sylva Palaestinam rexere non ut rectores ordinarii sed extraordinem a Caesare delegati. nec pili faciendum quod Noris objicit de Attico Consulari qui supplicio affecit Sanctum Simeonem Ecclesiae Hyerosolymitanae Antistitem, non ut autumat sibi faventem habet Valesium qui asserit in Notis ad Cap. 33. l. 3. hist. Eccl. Eusebii Atticum Consularem fuisse legatum Syriae non Palaestinae sub Trajano. nihil ad rem igitur Consularis ille Atticus. addit Noris. Consularem illum fuisse Praesidem ordinarium vel legatum propraetorem Palaestinae. Cum aetate Eusebii (inquit vir Clarissimus) Consulares vocarentur qui Palaestinam regebant, ut mox ex Hieron. ostendo eo vocabulo Atticum designavit qui tamen legatus Augusti jure praetorio Palaestinam moderabatur. Summopere errat vir Clarissimus, nam loco citato Eusebius non loquitur sed mere exscribit Hegesippum. adsunt inquit, Hegesippus scilicet, illi et universae Ecclesiae praesident, ut pote Martyres et agnati Christi, tandemque profunda pace Ecclesiae restituta ad Trajani usque tempora superstites fuerunt, donec Simeon supradictus Cleopae filius ejus qui patruus erat Domini accusatus ab haereticis et ob eandem causam in jus vocatus est ἐπὶ τοῦ Ἀττικοῦ τοῦ ὑπατικοῦ sub Attico qui Consularis erat. et aliquot lineis interjectis subdit Eusebius ταῦτα μὲν ὁ Ἡγήσιππος λέγει ita quidem ipse Hegesippus dixit. fateor aevo Eusebii Hieron. et Rufini rectorem Palaestinae absolute Consularem vocatum fuisse. verum hic Magistratus Consularium qui provinciarum rectores fuerant ordinarii saltem extra Italiam diu post Trajani tempora et M. Antonini sub quo scribebat Hegesippus est institutus legatus Syriae sub Trajano Adriano et Antoninis, non Consularis, ut volebat Valesius, sed propraetor dicebatur, licet e viris Consularibus assumptus, sub Marco, inquam Antonino, ut docet nos luculenter inscriptio mar[mor] reperta Romae in foro Trajani quam in Thesaurum

 Suum retulit Gruterus p. 457. n. 2. ibi etenim legitur Senatum M. Aurelio Antonino Armeniaco, Medico, Parthico, Maximo, Germanico, Sarmatico Statuam poni habitu Civili in foro Divi Trajani pecunia publica Censuisse M. (cuidam) Pontio Cos. Pontifici antoniniano Veriano feciali legato Augusti pro prætore Provinciæ Syriæ &c. Pontius ille ut videre est licet ex consularibus appellatione propretoris insignitur. unde Suetonius in Vespasiano Cap. 8. ait Cappadociæ propter assiduos Barbarorum incursus legiones addidit, Consularemque rectorem imposuit pro Equite Romano. (nonne legatus Cappadociæ sub Vespasiano dicebatur legatus Consularis? minime. imo L. Vitellius legatus pro prætor Syriæ dicitur a Suetonio l. 4. c. 14. legatus Consularis seu legatus ex Consularibus assumptus quia Vitellius ex Senatoribus Consularibus erat.) Artabanus, inquit Suetonius ad alloquium legati Consularis venit, Cum imperator iste in Arabia et Mesopotamia Moraretur Cum Exercitibus Romanis Judæi in Ægypto et Cypro Artemone duce et in finitimis Provinciis defecerunt qui statim repressi et subacti sunt a Lucio præcipuo e Ducibus Romanis ut narrat Dio l. 68. p. 786. at idem Dio in fragmentis Valesianis eodem lib. tradit post expeditionem Parthicam Lucium τῆς Παλαιστίνης ἄρξαι Palæstinæ præfuisse, quam, ut liquet, non ut rector Ordinarius, saltem vivente adhuc Trajano administravit Lusius sed Extraordinarius, ut Exercitui Romano ad Compescendam judæorum rebellionem præesset. Primum legatum et Præsidem Ordinarium Palæstinæ reperio Tinium Rufum qui Provinciæ præerat Cum legati potestate eo tempore quo judæi rebellarunt teste Aristone Pellæo Coævo Scriptore apud Euseb. l. 4. hist. c. 6. utrum ipsamet Aristonis verba Eusebius Citaverit, ut vult Scaliger, vel prolixius ab Aristone relata in Compendium redegerit, ut Contendit Valesius in nobis non multum interest. id. Eusebius in Chronico ad An. Abrahami 2148 hæc habet: judæi in arma versi Palæstinam depopulati sunt tenente Provinciam Tinio Rufo cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit Exercitum, alium, inquam, præter Rufum misit Hadrianus legatum Extraordinem, ut huic bello præesset, etiam præsente legato Provinciæ Rufo, ut docet nos Dio apud Xiphilinum in vita Hadriani. Hadrianus inquit Dio optimos duces adversus eos (judæos) dirigit, quorum primus fuit Julius Severus qui ex Britannia Cui præerat Contra judæos Missus est. hic vides duos legatos in Palæstina unum Extraordinarium, puta Severum alterum Ordinarium scilicet Rufum qui usque ad finem belli hujus judaici præclara etiam gessit teste Aristone Pellæo apud Euseb.

Certe nullo Argumento ullus Evincet Palæstinam fuisse a Syria disjunctam ante finem Anni Christi 131. vel initium sequentis, cum in Syria Moraretur Adrianus Antiochenorum Osor. Spartianus quidem C. 14 asserit Hunc Principem Separasse Syriam a Phœnice, ne tot Civitatum Antiochia Metropolis diceretur verum in Phœnicia olim Palæstina includebatur, ut docet nos Strabo. an in duas an in plures Provincias Syriam et Phœnicem distinxerit Adrianus ex Spartiano ipso non liquet. at Certum est post annum Christi 131 in tres Minimum Provincias Syriam fuisse Discretam, Syriam, Phœnicen et Palæstinam. tandem

Arabia peculiarem rectorem habuit. itaque conjecturis et divinationibus meris antiquariorum, siquidem aliud omne argumentum desit, vir prudens et bene sanus tanquam ad saxum firmiter non adhærescet.

Demum Hadrianus Palæstinam separavit a Syria et Phœnice, non tantum ut Antiochenos læderet, sed ut frequentes Judæorum qui majorem Palæstinæ partem adhuc incolebant seditiones cohiberet eorumque animos firmaret pervicacissimos et ad res novas attentos et expeditos | populus enim judaicus tunc acerbo odio flagrans et furore, impatientissime ducum Romanorum jugum perferebat. quidquod liberatorem suum seu Messiam jam jam et propediem expectabant, intra paucos annos pluries rebellaverant pertinacissimi hominum unde strages et clades luctuosæ quibus florentissimæ provinciæ fuerant devastatæ anno scilicet postremo imperii Trajani cum judæos rebelles ægre compescuit | dux clarissimus Lusius Quietus tribus aut 4 annis abhinc elapsis Adriano imperante iterum judæi rebellaverant quos Marcius Turbo devictos iterum subjugaverat, ita tamen ut sedati omnino non essent, cum semper ubi ipsis aliquid novi et sævi expectaretur. itaque ut provincia seditiosissima et turbulentissima Palæstina pacifice regeretur moderaretur que utiliter et opportune necessarius omnino tunc erat legatus principis qui potestate summa et ordinaria decoratus præsens adesset. quæ cum perpendisset Hadrianus legatum proprætorem Tenium Rufum Palæstinæ imposuit quam imperator iste separavit a provincia Syriæ, non solum quod Antiochenis invideret quos oderat sed imperii Romani tranquillitati et securitati consulens.| anno scilicet 131 vel 132 cum adversus Romanos judæi frenderent, ut non obscure docet nos Spartianus his verbis. Syriam a Phœnice separare voluit Hadrianus ne tot civitatum metropolis diceretur. moverunt ea tempestate judæi bellum. ista quidem ad annum Christi 129 pertinere nequeunt: sed saltem ad annum labentem 131 vel 132.

De anno Persarum

Anni veterum Persarum forma antiquissima est, ut pote quæ necessariam cum Magorum religione connexionem habeat. istorum autem Princeps et quasi legislator fuit Priscus ille Heros dictus a Græcis Zoroastes corrupte sed a Persis [illegible] Zaradust et [illegible] Azardust i.e. Amicus seu Cultor ignis, ut Texeiras et alii volunt, qui Persarum Commentaria impensius evolvere. Cum istis facit Agathias qui sub Justiniano Imperatore e Persicis Archivis multa transsumpsit, ut ipse met testatur l. 4. historiæ p. 141 ait itaque l. 2. p. 62 Persæ adulterinis utuntur institutis Zoroastri filii Oromazadæ disciplina delinitti. hic autem Zoradas sive Zarades Ζαράδης potius Ζαράδοστ duplex enim ei appellatio tribuitur (imo dupliciter unica appellatio persica corrumpitur a Græcis qui Barbara nomina nequeunt recte proferre) Persis suffragantur vetustissimi et gravissimi scriptores Græci et Latini | Plato enim in Alcibiade 1. pag 441 edit. Francof. asserit filios primogenitos Regum Persarum cum ad annum ætatis 14 pervenissent susceptos a Regiis Pædagogis fuisse quorum primus Magicam Zoroastri Oromasi filii docebat, eratque illa (Magica) ut subdit Plato θεῶν θεράπεια Deorum Cultus, apud Persas scilicet. | Trog. Pompeius l. 1. apud Justinum Epitomatorem tradit Zoroastrem primum artes Magicas invenisse et Plin. l. 30 c. 1 scribit Magicam in tantum fastigii adolevisse, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, et in Oriente regum Regibus (i.e. regibus Parthorum et Persarum) imperet sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre ut inter Auctores convenit. | Plinio succenturiatur Plutarchus lib. de Isid. et Osirid. nomina autem mensium ipsa et dies omnes desumpta fuere a Diis vel Dæmonibus et angelis quos iisdem præesse vetus Persarum et Magorum religio dictitabat, quemadmodum Cazuinius, Cotboddinus, aliique scriptores Persici tradunt citante Golio p. 20 not. in Alfraganum enimvero cum aliis quoque Orientis Gentibus Persæ statuebant per angelos dis pensari res inferioris mundi die quolibet peculiari illis [illegible] τέλεσμα suum et sacræ voces erant et quid ipsi in sacris ac profanis sectarentur vel caverent, dierum serie et vicibus monebantur, eo etiam progressa superstitione, ut amictus cibi potus et odorum quotidie delectum haberent, uti Cazuinius et alii recensent quam tamen superstitionem ipsis Magis solis potius tribuendam existimat Golius quam soli populo Persico | anni autem formam saltem perfecisse et festis novisque institutis exornasse Gemschidem Regem testatur præstantissimus Philosophus Schuraxita Cotboddinus cui alii Orientales suffragantur omnes, imo Ignatius ille Patriarcha Antiochenus Cotboddino consentit litteris sæculo posteriori scriptis ad Scaligerum | at infeliciter nimis conjecit, immo affirmare ausus est Scaliger Gemschidem non alium esse a Sapore coætaneo Constantini Magni, quod refellitur

ab omnibus Scriptoribus Orientis et ab Europaeis Texeira l. 1. c. 7. et Schikardo p. 38 Procemii Tarrchi Persici qui ambo hæc ex Asiaticorum Scriniis deprompserunt. Certe Gemschid quintus fuit Priscorum Morum Regum Adzurbigian qui durante Medos regnarunt in Media et Armenia et usque ad Bactros Sogdos et Indos longe late quæ rerum potiti sunt. in Adzarbigian diu et a primis Sæculis viguit superstitio et inde ab Adzar, seu Sacro igne hæc Provincia partem Mediæ partemque Armeniæ Complexa Nomen habet, quod hic posterioribus Sæculis Maxime viguit Idololatria et quidem ut asserit Strabo l. XI ἅπαντα τῶν περσῶν ἱερὰ κ) μῆδοι κ) Ἀρμένιοι τετιμήκασι de hoc in Adarbigana Provincia cultu insigne testimonium Procopii huc adducere operæ pretium existimavimus Ex lib. 2. Belli Persici c. 24. Venit autem Chosroes ex Assyria in oppidum Provinciæ Ardabiganorum unde in Romanum Imperium per persarmeniam irrumpere Cogitabat. Magnum ibi Pyræum e Persis maximo præ Diis omnibus in honore, ubi ignem inextinctum Soventes Magi cum alia sacra procurant studiose tum in rebus gravioris momenti Oraculum Consulunt. hic ille ignis est quem Romani Vestam Ἑστίαν vocabant ac prisco ævo venerabantur.

Circa æquinoctium Vernum fuit Anni Principium appellatum Nuruz Novus dies. ita etiam Persæ præcipuum Anni festum vocabant Celebrandi Novi anni Auspicio dicatum, id quidem instituit primum seu potius universo populo Celebrandum proposuit supra laudatus Rex Gemschid quod felici illo die quo lucem et motum incepisse, ut Nevixirius inclytus Scriptor inquit, Persarum opinio erat, ipse Imperium adeptus esset. hoc senum dierum festum erat eodem Authore teste qui addit diem. Sextum fuisse vocatum Nuruz Alkebir Nuruz Magnum proquo aliquidam habent Alchassa peculiarem sive regium propterea quod Persarum reges reliquis fere diebus gratificati subditis nempe, ut Cazwinius tradit, die 1º populo. 2. Doctoribus et Astrologis 3. Sacerdotibus et Consiliarius 4. Proceribus et propinquis. 5. liberis 6. vero sibi proprium die 6. hoc ad regestune undique Comportabantur Dona offerentibus inter Cæteros Astrologis ineuntis Anni Ephemerides, qui ritus per totum fere dimanavit orientem in hunc observatus diem eoque factum ut hoc tabularum genus [illegible] Almanacha vulgo Almanach dicitur i. e. Donum seu Strena vocatum fuerit talia regibus inscripta in Oriente plura vidisse testatur Clariss. Golius p. 22 Notarum in Alfraganum, de hujus festi ritibus etiam alia memorat Ibn Muesa quæ huc ex interpretatione Golii referre libet. mos receptum apud illos erat eo die ut formoso vultu aliquis de nocte ad regem veniret, ei præpositus rei huic ad portam stabat donec illuxisset aurora, tum que ad Regem sine venia intrabat, et familiariter Cum eo Congressus Rex dicebat. unde tu et unde venisti? quo tendis et quod tibi nomen? in quem finem accepisti et quid apportas? inquiebat ille, in vichos

interpretatione

Ego et Augustus estque mihi benedicto nomen. accessi huc a Deo Novum afferens annum, deinde ut hic consedisset intrabat alius paropsidem argenteam portans in qua triticum hordeum fœnum græcum cicer sesama et oryza scilicet generis cujusque spicæ septem et novem grana frustum sacchari et aurei recensiti duo. tum paropside Regi apposita afferebantur Munera et primus ingrediebatur Imperator Exercitus (Atterinus) deinde ærarii præfectus, tum præfectus apparatus Bellici, denique populus secundum classes suas et ordines, postea panis magnus qui ex granis hujusmodi confectus erat in corbi positus offerebatur Regi, ex quo cum ipse comedisset cæteris qui coram adessent comedendum dabat, inquiens. hic Novus dies est mensis Novi de Anno Novi temporis Novo quo renovari necesse est quidquid tempore constat. tandem Regni sui proceribus veste regia ornatis benedicebat in eos distribuens quidquid doni allatum esset. erat autem vulgo Persarum mos nocte illa excitare homines et mane aquam spargere.

primus mensis dictus est Pheruardin vel frourdin Nusseirius sicut et alii nonnulli mensem istum Pheridum vocat de nomine Regis Prisci filii Gemschidis Nuserio suffragatur Mazudes qui præterea menses etiam alios Regum qui Dii minores habiti cognomines facit. sed hoc, ut optime animadvertit Golius p. 22 Notarum in Alfraganum, præter quam quod aliter tradunt ipsi Persæ in paucis duntaxat demonstrari potest. et potius casu videtur contigisse quod ipsi illi Reges a genio quem Nativitatis aut alius status comitem habere credebantur nomen acceperunt sic Mihr et Bahram Regum quidem nomina sunt, sed quæ primo conveniunt Soli et Marti seu intelligentiis potius quæ hasce stellas, ex sententia illorum magorum regunt, vel quod Reges quidam superbia elati per lasciviam, ut inquit Plato, Deorum cognomina assumpserunt; huc usque Golius cujus verbis hæc addo, Nomen mensis Pheruardin seu feruardin non minorem affinitatem habere cum voce Pherouzd quam cum feridun, idcirco rectius derivari a Pherouzd i.e. a stella Jovis quam a Pheriduno filio Gemschidis.

Secundus mensis dictus est Artpescht seu Ardibescht a nomine Dei ignis. Ard enim genium seu Dæmonem latine sonat vox autem hescht seu Escht hodie obsolevit inter Persas. affinitatem quidem maximam habet cum voce græca Ἑστία et latina Vesta, quæ Vesta, ut docet nos Cicero lib. 2. de legibus quasi focus urbis, ut græco nomine est appellata, quod nos prope idem nomen græcum interpretatum tenemus. attamen vocem Escht seu Ἑστία priores Persas et Græcos a Chaldæis qui ignem Eschtha appellabant fuisse mutuatos non dubito Escht trans positis litteris dicitur etiam Atesch quæ vox hodie sola usus patet. sic Adzar Deus ignis transpositis litteris dicitur etiam Zara ut vidimus supra in interpretatione nominis Zaradusti Zoroastrio. Ardabescht vero Persis dictum ignis ac lucis Deum quique medicinæ præesset a Cazwino traditum ideoque magi qui ignem et lucem colebant 24 hujus mensis die primum ac præcipuum

143 Cahanbar (quasi Antiquam periodum dicas, pro quo Arabes suo more scribunt Giahanbar) auspicari solebant. Erant autem hujusmodi sena quotannis sacra quintum dierum singula, inquit Golius p. 24. Not. in Alfrag. quæ Zoroastres Religioni Magicæ seu Persicæ quondam præscripsisset, in memoriam, ut Persæ volunt sex dierum Creationis.

Tertius Mensis dictus est Chordad a nomine Dæmonis Khourdad, i. e. cibum dantis. ita Persis appellatum fuisse tradit Kazvinius Arborum et Herbarum Deum quique ab inquinamento vindicaret aquas, ac proinde ultimo hujus Mensis die Abzirkan Persice notant Aquæ lustralis festum celebrari solebat. ab aquam denotat, et apud Priscos Abzir aqua lustralis erat.

Quartus Mensis dictus est Tir a Mercurio. Persis enim Tir inter alia signi ficata multa Mercurium notat.

Quintus Mensis appellatus est Mordad a genio Mortis. sonat enim Persis Mordad quasi Mortis dator. hunc Arabes appellant Angelum Mortis ac proprio nomine Azraël. hic autem dicebatur illis Cazvinio teste Mopharrek Alar-wahhi men alagsadi separans animas a Corporibus.

Sextus Mensis dictus est Scharrir seu et Schahriar ut vult Chazel Sophus in Lexico Persico, quo quidem posteriore nomine celebris Persarum Tyrannus dictus fuit, sed ex ultimorum Regum ordine, quare aliunde procul dubio hoc nomen inditum fuerit, nimirum ex Persarum, ut ipsi volunt, Dæmonurgia.

Septimus Mensis dictus est Mihr quæ vox Persice notat Solem, unde hic Mensis suam sortitus est denominationem sicut et festum Mihrgian, seu ut genuino Persico more hanc vocem efferamus Mihrkan. quemadmodum vero sole reverso circa vernum Æquinoctium ac aperiente sinum terra solemnia Neuruz, ita abeunte sole et terra sinum claudente autumno solemnia Mihrgian pari fere festivitate celebrata sunt: nec videntur diversa a Mithriacis sacris quorum Græci sæpe meminerunt, siquidem ut plurimi Scriptores Græci notant Persis Sol dicebatur Mithra, quæ vox [illegible] hodie Principem et Dominum supremum significat. Sacra illa Mythriaca sex dierum erant eorumque ultimus maximus Mihrgian dicebatur. De festo illo apud Nuweirium elegans extat locus quem hic visum est referre ex interpretatione Golii. Mos Persarum eo festo fuit, ut Reges ipsorum oleo Balanino in benedictionem inungerentur. induebat Rex subtilem et variegatam vestem Cidari ornatus, supra quam imago solis constricta ambiente orbe. primus vero qui ad illum ingrediebatur, erat Magorum Antistes ferens Paropsidem in qua Citria, frustum Sacchari, lota, Cydonia, Lytipha, poma, albarum uvarum botrus et septem Myrthi baccæ, super quibus sacra dicebat verba. eodem modo accedebat deinde populus secundum dignitatis gradus, præceperunt autem Ard Schir et Anuschirwan Reges ut festi Mihrgian et Neuruz omnia vestium et stratorum genera ex Apothecis deprompta populo

Populo juxta suos ordines distribuerentur. ferunt enim Reges hyberno tempore haud fuisse usos vestibus Æstivis, nec Æstivo hybernis, neque iis morem fuisse vestes in Apothecis servare, ne similes viderentur vulgo plebi in iis quæ facit aut facere consuevit. | Nonvecte autem Nuweirius videtur asserere hunc mensem nomen suum desumpsisse a rege Mihr nepote Gemschidi, licet Mihr antiquis Persis vindictam seu talionem significaverit et Rex Mihr hujus festi tempore avi sui mortem vindicaverit victo Dakak Tyranno. pejus Masudeo asserit Mahr nomen esse Regis cujusdam Persæ injusti et exosi a cujus morte et mensis et dies ejus 16.us dictus fuerit, quasi Dzahaba phihi Naphto-Mehri. abiit eo (die) Anima Mahri. Nam menses appellationes suas desumpsere a Diis et Dæmonibus, non a Regibus qui Deorum cognomina deinde usurparunt.

Octavus mensis dictus est Aban a genio nobis prorsus incognito. hujus mensis quinque ultimi dies sacri erant dicti Pherurdigan, horum primum appellatum Eschtadruz i.e. 26 diem, Persæ inferiis consecrarunt, ut qui (Cazwinio teste et Golio interprete) existimarent suorum manes hisce diebus prodire ex Præmii et supplicii sui locis, quemadmodum et Romani in feriis olim litabant; idemque auctor alibi refert, Persas eo tempore super mortuorum tumulis epulas struxisse. hunc morem hodie nonnullæ Orientis gentes servant etiam Christiani Armenii, quorum majores olim tempore Paganismi religionem sectabantur Persicæ proximam. unde fere hunc apud se morem remansisse non inficiantur.

Nonus mensis dictus est Adzar estque Deus ignis etiam apud ipsos ignicolas qui hodie supersunt. primus hujus mensis dies celebratur equitatu Keusegio, ut docet nos Alfraganus in Elementis nomen hoc Keuseg seu Keusek Arabibus formatum est ex Persica voce Keusah. quæ edentulum notat Asmæo Arabicæ linguæ Critico insigni interprete. | Nomen autem Keuseko inditum videtur propterea quod manducaret ille continue edentuli instar, vel quod talis fere deligeretur senex, ut tradit Golius p. 36. Notarum in Alfraganum. quis autem hoc loco designetur ritus verbis sequentibus quæ apud Cazwinium aliosque reperiuntur Masudes dilucide exponit, quæ huc referenda ex interpretatione Golii. | Exibat Keuseg mulo suo vectus in Assyria et Persia. Morem autem hunc Syri, Mesopotamii, Ægyptii et Arabes felices scilicet seu yamanenses ignorant; et quæ per aliquot dies edendæ offerebantur nuces, allium, caro pinguis quique hæc excederent cibi et potus calidiores frigori arcendo idonei, et cum ipse frigus depellere videretur affundebatur in illum frigida. unde tamen se molesti quicquam sentire dissimulans exclamabat idiomate Persico Gherma Gherma i.e. calor, calor (seu tempus Æstivum fervidum) hoc autem

tempus Persis festum erat, quo Exultabant ipsi atque hilaritatem Communica-bant, quemadmodum pluribus Anni temporibus.

Decimus Mensis appellatus est Dei i.e. Διος Jovis seu D.O.M. Mensem hunc Cazwinius tradit, dici quoque Hezmma Ejusque primum diem Hezmruz haec addens Ex Interpretatione Golii: Hizm D.O.M. Nomen est. ea autem die Rex de Throno descendebat, et albam induebat Vestem, tollique jubebat Velum ac Regia deposita forma respiciebat populi Negotia nulli non se affabilem praebens.

Undecimus Mensis appellatus est Bahmen ab Eo Spiritu quem idem Cazwinius refert, eum fuisse qui praesit brutis ad habitandam et Colendam terram necessariis. dies hujus Mensis 16. festus est, et Cum Neuruz et Mihrgian implet Principalium trium festorum Numerum. potiori tamen hujus festi pars celebrari solet Nocte, ignibus passim Extructis et accensis. quare haec ipsa Nox Persis Sadza vel Sada et Schebsada dicta fuit i.e. Nox ignis accensi. institutionem hujus festi Antiquissimam praedicant Persae et a Rege Hunschang praedecessore Gemschidis repetunt, imo quidam ab Heroe prisco Kaiu Marths. nonnulli inde Causam hujus institutionis deducunt, quod eo die Efrasiab Persarum hostis et Dominator, de quo Texeira l.1.c.XI, pulsus et Ejectus fuerit.

Duodecimus Mensis dictus est Asphendarmed seu Asphendiarmoud de Nomine terrae Spiritus qui Kazwinio aliisque testibus faveret foeminis bonis Castisque, ubi addit: hac de Causa quintum hujus Mensis diem etiam suo tempore Ispahane et in Persia alibi fuisse Viris foeminisque sacrum et festum et Contrahendis Matrimoniis nec non pangendis foederibus auspicatum habitum. Caeterum ultimum Cahanbarerum, de quibus sacris nonnulla disseruimus Persis solebat Celebrari quinque diebus proximis ante Neuruz sive ultimis hujus Mensis Asfendiarmoud, quando Epagomenae non adhaererent Ejus fini, Neuruzpho Epagomenis Cum hae illi adjungerentur. primum idcirco Cahanbar ut supra Monuimus initium habebat die 25 Mensis Artabescht. secundum 25 Tir. tertium 16 Scharriar. quartum 15 Mihr. quintum XI. Dei. Sextum die 26 Esphandiarmoud vel prima Epagomenarum cum ipsae Esphandiarmoudo adhaererent. ita Keuschar Ghilaeus Celebris Scriptor Persa in tabulis suis tradit, Pentamero quoque Magi ex instituto Zoroastris More suo laudabant Deum pro iis quae vel primo vel secundo vel alio quovis die Condidisset et alia quovis die Condidisset, et ad alia atque alia grati et pii Animi officia quae operibus illis responderent homines adhortabantur.

Menses omnes triecenarii semper fuerunt apud Persas, ipsique appellantur omnes Mah quae vocula Nominibus Cujusque Mensis superadditur, unde Pherurdin Mah Arthabescht Mah &c. dicitur at Annus non duodecim solum Mensibus triecenariis Constare poterat, cum non 360 sed 365 dies haberet tempore Vetustiorum Persarum, ut docet nos Curtius l. 3. de Vita Alexandri his Verbis: Magos

trecenti et sexaginta quinque juvenes sequebantur puniceis amiculis velati, diebus totius anni pares numero quippe Persis quoque in totidem dies descriptus erat annus. {idcirco quotannis inserebantur quinque dies dicti Andergiahat seu Andergahat i.e. insititia tempora, adsumptitii dies. nam Ander nihil aliud est quam latine immistus. et Gah seu juxta Arabum pronuntiationem Giah tempus et locum notat. arabica voce etiam Epagomenas appellant hodie Mostareka furtivas dies, nempe unde iidem dies appellantur a Græcis recentioribus κλοπιμαῖαι ἡμέραι. {Isaacius Argyrus in fragmento edito ex Codice Palatino a Christmanno in Not. ad Alfrag. sic menses persarum numerat. κατὰ Πέρσας ᾗ οἱ μῆνες ὀνομάζονται οὕτως. Φαρυάρδιν (Emenda Φαρουαρδιν) Αρδιπεες, Χορδαδ, Τυρμα, Μερδαδ, Σαχριορ (vel Σαχριυαρ) Μεχερμα, Απευμα, Αδερμα, Δημα, Πεδμαν (Emenda Πεχμαν) Αβφανδαρμαδ, Μαβιαρχα lege Μαςαρχα i.e. Mostareka furtivi dies

Epagomenæ Persicæ non semper ut Ægyptiacæ, sed raro fini anni adjiciebantur. ideo ut hæc materia intricatissima et ab Egregiis Chronologis vexata plana fiat, formam anni Persici veteris fide idoneorum testium comprobare operæ pretium fuerit. Notandum igitur quod ille Nasireddini Thusii Philosophi percelebris discipulus Nedhamoddinus inter alios scribit tractatu de Annorum Explicatione. religione certa, inquit, Persæ Paganismi tempore cavebant, ne intercalarent aliquem diem, ut tabularum constructores et Romani (græci) faciunt.} Causam reddit clarissimus scriptor Masudes, quoniam eorum dies fasti et nefasti intercalationem excludebant. oderant enim diei intercalatione Persæ fastos in nefastorum locum transferre. et apertius Philosophus Schirazita in libro Nehajat Aladrac, seu Meteorologiæ, propterea quod cuique et quinque Epagomenon et ipsius mensis diei certum nomen esset proprium nempe Angeli ejus diei nomen, ideoque haud rite ea procederent ex eorum sententia si ad dies mensis diem adjicerent. Eadem intercalationis omissæ causa Ægyptiis quoque videtur fuisse; nam et hosce spectasse cujus deorum dies quisque esset Autor est Herodotus l. 2. vel utrisque communis causa hæc fuerit, quod eorum sacerdotes regundi temporis ministerium sibi proprium esse vellent, quod ex Strab. l. 17. constat, ubi exponit quam difficile Platoni et Eudoxo fuerit ab Hierophantis Ægyptiorum discere quæ diei et ~~noctis~~ particulæ 365 diebus deessent ad complendum annum.} peculiariter autem, ut testantur gravissimi scriptores orientis Persarum Sapientibus curæ fuit post certum temporis spatium in integrum restituere vagum que sistere, præsertim cum certas anni tempestates pleraque ipsorum sacra respicerent, quod ut salva religione illa de qua modo diximus præstare possent, assumentes, inquit Cotboddinus, particulam scilicet anni æquabilis reliquam pro quadrante integro adjecerunt centum viginti quibusque

annis Mensem unum. tot enim annis totidem diei quadrantes Complezent triginta dies, ita ut ipsorum Anni Congruerent cum Annis Græcorum seu Romanorum. | Methodum vero ipsam intercalandi Mensem dilucide Explicat Nedhamoddinus in hunc modum. annus ille Nempe 120 quo intercalandus mensis esset, Mensium erat decimus tertius, eumque annum Vocabant Bihezec et Mensem intercalarem Nomine ipsius Mensis cujus fini ille addebatur, ad mensis autem intercalaris finem adtexebant quinque Epagomenas, ut ipsa hæc additio intercalari Mensi Signum foret in vicem proximam, Scilicet ut post 120 Annos Embolimæus ille Mensis suo Nomine et loco sine Errore adhiberi posset, quemadmodum hoc Cotboddinus Exemplis declarat. erat namque intercalatio suo Ordine promovenda de Mense in Mensem, nempe a Pherurdino per succedentes Menses ad Asphendarmed usque atque hæc Dourat el Kabisa periodus Embolimica dicitur, estque ut Cotboddinus ait ὁλοχερὴς putata Annorum 1440 atque ita fiebat ut Neuruz et festa reliqua quæ Annorum 120 spatio paulatim suas sedes quasi integri Mensis spatio antevertebant, uno Mense geminato in easdem retraherentur.

Cotboddinum et alios supra a me citatos sequitur Expresse Ignatius Patriarcha Antiochenus Epist. ad Scaligerum cujus fragmenta vide l. 3. Can. Isag. p. 256. Erat autem, inquit Ignatius, Consuetudo eorum (Persarum) ut Mensem intercalarem a Mense in eum Mensem trajicerent, qui deinceps sequebatur i.e. Pheruardin bis Contingebat, iterabatur itidem Ardbahescht post 120 Annos. apponebant autem Epagomenas seu dies festivas (Mostareka) ad Eum Mensem qui iterabatur. h.e. Constituebant eum quinque et triginta dierum, ne mensis intercalaris Mis immutaretur. | hactenus Ignatius. Ex iis quæ fuse Explicuimus Constat hanc Anni formam fuisse, cum religione superstitioneque Magorum et omnium Persarum veterum tam arcto vinculo Connexam et Copulatam, ut ipsa interire et aboleri non potuerit, nisi Magica seu Persica religione sublata et Eversa ne quis de hujus systematis antiquitate subdubitet.

Annus Persicus Hebdomadum distinctionem Nullam Antiquitas agnovit, sed tantum Mensium quorum singuli triginta dies Diis seu Dæmonibus dicati ab iis suam denominationem accipiebant.

primus dies dictus est hormoz alii plerique addita littera Dal scribunt hormouzd et Ormouzd. aleph substituto pro He, omnesque tradunt hanc vocem Notare Jovem quod et Plutarchus testatur libro de Iside et Osiride, ubi docet Zoroastrem tradidisse principium quoddam esse boni et quoddam Mali, illud luci hoc tenebris simile utrumque autem dixisse Deum. meliorem Ormayan Nomine, pejorem Arimanium hodie etenim Ormaz vel Ormoz Jupiter est Cœlestis et Arman seu Orman laborem dolorem et Molestiam Persis significat. | ea secta origo fuit Manichæorum sectæ autore Mane Persa Zoroastris placitis addicto, nam

ut optime Censuit Tertullianus, Philosophi, Gentiles Scilicet, Patriarchæ fuere hæreticorum. de hac persarum Magicæque religionis cum Manichæismo Convenientia hæc Scribit Agathias l. 2. hist. p. 62 Majori ex parte cum iis qui Manichæi dicuntur, Conveniunt, quatenus duo prima principia Statuunt, atque alterum quidem bonum et optima quæque ex se gignens, alterum Contrario plane modo secundum hæc duo se habens, nomina quæ illis indunt barbara, ex ipsorum lingua ducta, bonum enim seu Deum seu Creatorem hormisdatem appellant. Arimanes autem pessimo illi ac pernicioso nomen est.

Idem docuerant Vetustissimi Scriptores Græci Dinon historias. Arist. l. 1. de Philosoph. Hermyppus l. 1. de Magiis, Eudoxus in περιόδῳ Theopompus l. 8 Philippicorum et Eudemus Rhodius quos omnes laudat Diogenes Laertius in Proœmio, et ex illorum placitis tradit Magos Scilicet duo Principia Statuisse ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν illum Jovem et Oromasdem. hunc ditem et Arimanem appellari. Plutarchus vero lib. de Iside et Osiride ait Zoroastrum vocasse bonum genium Oromazdem, Malum Arimanum et inter Ambos medium Constituisse Mithram.

De Nominibus dierum Mensium Persarum hæc tradit Nedhamaddinus Ex interpretatione Golii p. 40. not. in Alfrag. Cum non essent iis Hebdomadum dies imposuerunt pro dierum Mensium Numero quædam Nomina quæ perhibentur ipsorum lingua denotare Angelos præter Ormoud et di (seu Dei) quæ de Nominibus sunt D. O. M. et quidem disposita fuerunt illa Nomina juxta eorundem dierum seriem, quicumque autem dies Mensi alicui esset Cognominis, eo ipso Mense apud illos festus erat. nimirum ut addit Golius eo loci, quoniam Mensis Cujusque dies 19 dicitur Pherourdin Ruz, Phrurdin dicordem illo 19 dies hoc Mense Phrurdin Celebrari solebat, quod Phrurdingan appellabant. ita Mensis secundi Ardbescht die 3. etiam Ardbescht Cognominato festum erat, inde Ardbeschtgan. eadem est ratio de Chordad Mensis die 6°. Cæteris que Scilicet 2, 4, 5. 7. 8. 9. 10. 13 et 16 quorum unusquisque Mensi Persico Cuidam Cognominis est.

Porro 2. dies Cujusque Mensis Nomen est Bahmen sicut undecimo Mensi Nomen est Bahmen etiam. 3. die Ardhabescht. 4. Schavier, quinto Affendarmoud 6. chordad 7. Mordad & Dei Badus, 9 Adzur seu Azar, 10 Aban. 11. Kour, 12 Mah, 13 Tir, 14 Geousch 15 Deibamihr, 16 Mehr, 17 Surusch. 18 Resch. 19 Pheruardin, 20 Bahram. 21 Ram. 22 Bad, 23 Deibadin, 24 Din, 25 Ard, 26 Eschtad, 27 Asman 28 Zamiad, 29 Marasphend. 30 Aniran} quinque autem Epagomenæ seu Andergahat ita appellantur} 1. Ahnad. 2. Oschnad. 3. Esphadmodz. 4. Oschater. 5. hescht ~~Wasch~~ Wascht addita unicuique Vocula Gah seu Giah quam supra Explicuimus} in his ce quoque dierum Nominibus observandum quod Philosophus Schirazita scribit apud Golium p. 41. multoties laudati operis. repetitur autem Nomen Di seu Dei post dies Septenos quosque aut octenos una Cum Nomine diei sequentis ut Deibadin i. e. dies Dei, postquem sequitur Din vel cui adhæret Din dies inquam 23 cujusque Mensis, ubi et hoc Notandum ducit Golius, quod eum Cætera Spirituum Deorum nempe

Dæmonum ve Nomina omnia quæ Mensibus imposita sunt, etiam sigillatim adhibeantur ad Mensis cujusque aliquem particularem diem. Notandum solum Dei Supremi seu Jovis O.M. Nomen Dei nonquidem separatim unumaliquem signat diem sed Nomini sequentis diei præpositum tres signat nempe Deibadzur, Deibamihr, et Deibadin, ubi ba apudvel cum notat et Compositio Masit & vel 7 alternatim sede. tedautem ita junctum Nomen illud Existimat Golius reverentiæ ergo. multitudine enim Nominum Deum sanctius coli Credebant. Cæterorum dierum nomina hic Explanare omnia non aggredimur, cum Dæmonologiæ Persicæ mysteria omnia perscrutari non liceat deficientibus Vetustissimis libris sacris Persarum. Solum hic Annotabimus juxta Cazwinium et alios Persas Zurusch Dæmonem qui Nomen suum diei 17 Mensis indidit Noctis Custodem esse, ipsumque multi faciunt eundem cum Gabriele. Bahram quod ad 20 diem pertinet Persis est Mars, Asman quod ad 27 diem seu Osman Cælum estque Cælus seu Uranus genius. Ram ad 21 diem percelebris est apud Magos illos Indorum qui se Persis satos profitentur, uti et persarum Religionem eadem festa eadem Mensium Nomina hodieque retinent, ut testatur Golius p. 42. Not. in Alfrag. illi autem Magi asserunt Ram Magni Antistitis Nomen esse, qui religionem universam olim restaurasset, sed hunc Ram Antiquissimum faciunt, ita ut heroica etiam Persarum tempora superaverit, unde pro Deo seu Dæmone insigni habetur.

Anni Persici Veteris formam ex probatissimis scriptoribus proposuimus nobis utique facem præferente Eruditissimo Golio. at dolemus quod Vir laudatissimus non sibi semper Constiterit nam p. 31 Not. in Alfrag. opinatur probabile esse Persas a Macedonibus et Græcis rationem intercalandi accepisse, ut frænari Annus utcumque posset, si id admittatur necessario per omnes anni solaris et fixi tempestates impune festa Veterum Persarum peragrarunt, quod Ex Monumentis ab ipso golio allatis falsi invicte arguitur. nam festa illas certis Anni tempestatibus Veri puta Æstati, autumno vel hyemi necessario addicta erant, videlicet festa Neuruz Mihrgian, Keudek, Schebsada &c unde necessarius fuit omnino Persis magis mensis intercalaris ut hujus beneficio si quando triginta dierum spatio Annus retrocessisset Neuruz civile ad Æquinoctium Vernum reduceretur, nec ad rem facit quod assert Golius Ex periodo Embolimica cujus annus saltem 960 Complexus fuerat, cum Epocha Isdegerdi instituta fuit anno Christi 632. fateor hanc periodum initium duxisse sub Alexandro post Victum Darium, sed periodum istam alia præcesserat, quæ originem duxerat a temporibus Priscorum Magorum vel ipsiusmet Zoroastris cujus Epocha non omnino certa est apud chronologos. de hoc enim Magorum legislatore hæc tradit Agathias l. 2. hist. p. 62 quando primum floruerit et leges condiderit liquido non constat. Persæ vero hujus ætatis sub Hystaspe simpliciter tamen citra ullam adjectionem Vixisse aiunt, adeout valde Ambigatur neque certo sciri possit an Darii Pater, an alius quispiam hic Hystaspes fuerit. quocumque vero tandem tempore floruerit autoreis et Dux

Magicæ religionis extitit.) hucusque Agathias qui immerito dubitat an Hystaspes vetustissimus Persarum et Magorum Sapiens alius fuerit a Patre Darii. Certissimum est enim Sapientes illos Zoroastrem et Hystaspen multis Seculis ante Darium floruisse. de Ejusdem Zoroastris tempore hæc tradit Plinius l. 30 c. 1. Sed unus hic fuerit an postea et alius non satis constat. Eudoxus qui inter Sapientiæ sectas clarissimam utilissimamque eam Magorum intelligi voluit Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit, sic et Aristoteles Hermippus, qui de tota ea arte diligentissime scripsit et vicies centena millia versuum a Zoroastre condita indicibus quoque voluminum ejus positis explanavit, præceptorem a quo institutum diceret a Zonacene, ipsum vero quinque millibus annorum ante Trojanum bellum fuisse) huc usque Plinius qui merito suspectam habet fictitiam illam nimiamque vetustatem, prout innuit his verbis: mirum imprimis durasse memoriam artemque tam longo ævo, commentariis non intercedentibus, præterea nec claris nec continuis successionibus custoditam.) imo Plutarchus lib. 1. de Iside et Osiride scribit Zoroastrem annis solum 600 bellum Trojanum superasse. quidquid sit certissimum est Zoroastrem multis ante Cyrum seculis floruisse, et saltem eum initia attigisse Periodi primæ et Persicæ cujus integra revolutio absoluta fuit anno periodi Julianæ 4386.) altera autem periodus Persica major initium duxit ab Æquinoctio verno seu ab Æquinoctialibus diebus ejusdem anni 4386 sub Alexandro rege ante æram Christi anno 328. hujus autem periodi majoris 1440 annorum octava pars duodecima seu periodus minor Embolimica 120 annorum 8ᵃ desiit anno Periodi Julianæ 5345 æræ Christi 632 quo Rex inauguratus erat Isdegerdes cum Epagomenæ translatæ tunc fuissent ad mensem Aban qui intercalationem susceperat eo anno. de mensis autem intercalario periodico juxta morem Persarum nihil unquam Græci veteres, quod sciam scripserunt, quod istius anni ipsis omnia cognita non fuisset ipsis forma seu mysterium, quo modo igitur hanc viam intercalandi more Persico reperissent Græci quæ adeo ab ipsorum discrepabat moribus.) hæc itaque divinatio prorsus rejicienda est, nec dubium esse debet tandiu hanc anni formam usu patam fuisse a Persis, quandiu ibidem prisca religio Magica viguit, quæ nunquam fuit sublata nisi a Mahometanis, victo et interempto ultimo rege Isdegerdo, religione nova Eslamitica vi et armis introducta.

Et quidem hic fuit apud Gentiles et Paganos Persas anni civilis et sacri instituendi modus, sed cum propter frequentes intercalationes astronomis hujus anni forma minus commoda esset, ad anni æquabilis formam recurrere satius duxerunt etiam ab antiquissimis temporibus. uterque annus quidem Ægyptiorum civilis et sacer pari ratione æquabiles erant spatio annorum 1461 æquabilium et 1460 fixorum ad eundem cardinem recurrentes, et quidem hanc

anni formam utrum ab Ægyptiis prisci Astronomi Orientales didicerint cum
Astronomia, utrum Ægyptii a Chaldæis incertum est, veteribus alia et
alias sibi pugnantia afferentibus, sed male Scaliger ex moribus Ægyp-
tiorum etiam Persarum et Magorum mores metitus est. nam initium anni
Dei ενιαυτὸς θεοῦ seu Periodi Magnæ 1460 annorum duxere Ægyptii ab
exortu Caniculæ quam Sotin appellabant et ab ingressu Solis in ~~Arietem~~,
~~sed nihil curabant Sotin~~ leonem, qui cardo sacer Ægyptiis erat ob exun
dationem Nili Dei eorum maximi imminentem. at ista nihil prorsus ad Persas
et Magos qui quidem superstitiose observabant ingressum Solis in Arietem, sed
nihil curabant Sotin et Nilum. at eruditissimus Golius initium periodi Astro-
nomicæ persicæ ducit a die 29 Aug. an. 5. Cæsaris Augusti, quo teste Theone
Alexandrino annus fixus actiacus convenit omnino cum veteri Ægyptiaco
vago; sed quid ad Persas amabo æra Actiaca, annus fixus Ægyptiacus et decreta
Augusti de anni restitutione? nihil prorsus. Præterea Theo eo loci non ait
hoc anno 5 Augusti integram revolutionem anni Ægyptiaci contigisse, nam
accidit tantum sub Antonino Pio eodem Imperatore 2. et Brutio Præsente
consulibus. 12 Kal. Aug. teste Censorino c. 21 lib. de die Natali, nulla itaque
ratio fingi potest, cur Persæ a die Alexandriæ captæ periodum Astrono-
micam inceperint. sed initium hujus periodi satius est ducere ab origine tabula-
rum Astronomicarum; antiquiores eorum tabulæ fuere Esphandiaris et
Schahriaris, has citant Orientis Astronomi, sed ipsas Golius vir Mathe-
matum et linguarum Orientalium peritissimus qui in Provinciis Asiæ
substitit aliquandiu se nunquam vidisse fatetur p. 46 Not. in Alfrag. nec
ullus è recentioribus illas vidit, unde jam ab aliquot sæculis cum pleris que
veteribus Persarum scriptis intercecidisse non dubito, sufficit nobis vetustissi-
mas tabulas Persarum Astronomicas juxta anni æquabilis formam structas
præ se tulisse nomen Esphandiaris qui idem est ac Xerxes Græcorum, ut videre
est in Tarichi Persici proœmio, hoc supposito, si ab Æquinoctio verno anno
currente adhuc primo Esphandiaris devenias ad annum primum Isdegerdis
reperies annos 1116, ergo ut integra Periodus Magna Solaris impleretur residui
erant anni 344 quorum spatio Sol retrocessit diebus 86. numera ab Æqui-
noctio verno aut tempore saltem solstitiali et 22 die Martii Juliani dies
86. devenies ad diem 16 Junii, quæ incidebat in primam diem Phrurdin
astronomici Anno 1° Isdegerdis quo Epocha ab Astronomis instituta fuit eo
quod novas tabulas Schahriari nomine insignitas publicaverint, seu Canonem
Astronomicum ut habet Isaacius Argyrus in fragmento edito a Christmanno
his verbis. ἡ τῶν περσικῶν κανόνων σύστασις γέγονε τοῖς ἐκεῖσε μαθημα-
τικοῖς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος Ιασδαγέρδου Σάριεν (Emenda Σαριαρ) Μασ...
Μ βασιλέως Περσῶν. Persicorum Canonum compositio facta est a Mathe-
maticis primo anno Jasdagierdi Sariar Regis Persarum. vide editionem Canonum

sariaris seu Zig Schahriar anno 1° Isdegerdis Regis qui etiam teste Isaacio Cognominatus est Schahriar pedactam fuisse. annum autem Æquabilem a Mathematicis usu adhibitum in Canonibus istis et tabulis docet nos idem Isaacius Argyrus his verbis: est autem apud ipsos annus 365 dierum tantum sicut etiam apud Ægyptios quovis mense apud ipsos obtinente triginta dies accedentibus quinque diebus appendicibus, itaque necessario accidit, ut quovis quadriennio annus Persarum antevertat annum Romanorum una die, cumque Postus quivis annus apud Romanos sit dierum 366 et annis 1460 elapsis totus contextus anni Persici antevertat, et circa principium anni iterum conveniant Persæ et Romani. deinceps vero post quadriennii decursum iterum incipiunt Persæ antevertere nos Græcos seu Romanos die uno et deinceps similiter.

Anno itaque Æræ Christi 632 currente jam anno vago æquabili qui cœperat die 16 Junii instituta fuit Epocha a Mathematicis novis tabulis et Canonibus Schahriario editis. hoc eodem anno cum tunc die et mense incerto rex tunc inauguratus fuisset Jazdegerdes filius Schahriaris filii Cosroæ, quod testantur Isaacius Argyrus loco mox citato et Georgius Chrysococcus scriptor Græcus in Expositione Constructionis Persarum ad Johannem Charsiotem inedita hactenus, sed cujus manuscriptum habuit Allatius, hujusque fragmentum refert lib. de mensura temporis ἡ ἀρχὴ τοῦ ἔτους τούτου ἡμέρα τρίτη ἀρχὴ μηνῶν (μηνὸς) φαρβαρδὶν ὁπηνίκα ὁ Ἰασδακέρδης εἰς τὸν θρόνον ἐκάθισεν. idest initium anni hujus primi nempe Epochæ Isdegerdis fuit feria tertia initium mensis Pheruardin quo tempore i.e. quo anno Jasdakerdes in throno sedit. idem scribit Alfraganus Elementorum Astronomicæ cap. 1°. æra Persarum, inquit, petitur ab initio illius anni quo imperare cœpit Isdegerdes filius Schahriari filii Chosroæ, eratque istius anni principium feria 3ª. Confirmat gravissimus scriptor Medo Persa Keuschan Ghilæus in tabulis universalibus his verbis ex versione Golii p. 30 not. in Alfrag. primus dies ejus anni quo Jesdagerdus auspicatus fuit imperium nempe 22 rabie prioris anno Migrationis Muhammedicæ seu Hegiræ undecimo et 16 Haziran i.e. Junii Juliani anno Bicornis, Dzilkarnaim Alexandri M. seu Seleucidarum 940 tunc a Periodi Persicæ Embolymicæ seu Dour al Kebis elapsi erant anni 960 completi, ut docet nos hisce luculentissimis verbis Cotboddinus apud Golium p. 30 not. Cum autem innovata fuit Epocha pro Jazdegerdo seu de nomine Jazdegerdi filii Schahriari filii Cosroæ qui justus cognominatus fuit, jam additius ille mensis Persarum pertigerat ad Aban mensem, elapso de Embolismi periodo annis 960. ejusque mensis finem sequebantur Epagomenæ. addit sequentia Cotboddinus quæ magni sunt momenti postquam vero Persicum imperium ereptum illis esset tempore Otsmanis filii Afani Caliphæ tertii post Muhammedem quando in domo cujusdam molitoris inquam fugiens se receperat, ut certius lateret, interfectus fuit prope Marwam Schahgianæ quinque illi dies adhæserunt Aban mensi sine ullo Embolismo ac proinde Persarum alii hosce dies apponunt mensis illius fini eadem servata constitutione. alii vero fini mensis Asfendermed

quia hic est Anni ultimus, sed alter ille Epagomenas addendi modus originem sumpsit ab his qui Epocham Novam Gelaleam postea instituerunt, ut ex ejusdem Cotbeddini testimonio infra probabitur.

Vetustiores autem ut Alfraganus qui diu ante Regem Gelaloddaulam floruit semper apponunt Epagomenas fini Mensis Aban, imo decem dies solemnes Ferurdigian dictos a Persis una serie continuat Alfraganus, asserit que ex iis quinque mensem Aban complere et quinque reliquos esse Anni Epagomenas seu quinque Andergahat. Ex istis certissime demonstratur assertio Scriptorum Orientis qui testantur Epagomenas trajectas fuisse ad Mensem Aban Anno 1.° Jesdegerdis. nam cum prisca religio et cultus Persarum a Mohammedis asseclis vi eversus et sublatus fuisset, usus Anni Embolimaei festis et sacris Persarum Gentilium dicati abolitus fuit a Moslemis quantum per ipsos licuit, cessavit idcirco trajectio Epagomenarum de mense in mensem qui ritus totus a superstitione Magorum pendebat. praeterea si tunc Epagomenae translatae fuerant ad Mensem Aban, Anno nempe quo Jesdegerdes regnum adeptus est completa fuerat hoc anno Juliano 632 periodus parva octava quae par erat duodecima totius Periodi Majoris Civilis. octo autem periodi 120 Annorum multiplicatae conficiunt annos 960. Ergo tunc completus fuerat annus Periodi Majoris 960 facta que fuerat anni Sacri et Civilis Persici ἀποκατάστασις seu restitutio Mensis Embolymaei adjectitii opera hujus que ἀποκαταστάσεως occasionem Novae Epochae instituendae a Mathematicis causa non inepta esse potuit. Ex his quae supra retulimus patet utriusque Anni Civilis et Mathematici Mensi eidem Epagomenas adjectas fuisse cum sublato apud Persas usu Anni Sacri et Civilis solo Mathematicorum Anno usurpato Epagomenae quae trajectae fuerant anno primo Jesdegerdis ad finem Mensis Aban, ibidem haeserint. Graeci autem posteriores hanc duplicem Anni formam non intellexerunt, utramque periodum confudit Isaacius, cum enim legisset aut didicisset ab Orientalibus apud quos hoc tritum est et notissimum, initio Imperii Jesdegerdis completum fuisse annum 960 Majoris Periodi Persicae, ipsam et Sacerdotibus et Philosophis seu Mathematicis Persis communem fuisse existimavit. immerito prorsus γέγονε ἡ εἰρημένη διὰ αυξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου [illegible]ξ ἐτῶν τῆς ἀρχῆς τοῦ Ιασδαγέρδου Βασιλέως. Contigit autem praedicta 1460 Annorum revolutio a certo tempore (remotissimo nempe) olim inchoata annis πξ ante initium Jesdegerdis Regis. Certe apud Christmannum librarii visitur error manifestus pro πξ 960 numeri τζ 307 qui maximum Scaligerum et alios decepit, nam annum periodi 960 praecessisse Jesdegerdem procul dubio viderat et audierat Isaacius, quod ut jam monuimus apud Orientales eruditos notissimum, sed periodum αυξ 1460 cum periodo αυμ 1440 confundens Isaacius erravit ut ingenue fatendum est. jam vidimus supra cur Nova Epocha Jesdegerdis fuerit instituta, quo mense et die Anni Juliani nempe 16 Junii et quo anno scilicet 632 Aerae nostrae vulgaris cum Jesdegerdes creatus est Rex Persarum non tamen die 16 Junii thronum conscendit Jesdegerdes sed aliquot mensibus elapsis a Kalendis Pherwardin Astronomici, nam ut diserte scribitur in historia

Saracenica p. 19 l. 1. c. 11. Convenerunt Persæ Anno XI Hegiræ imperante Abubecro, Cumque ad eum accessissent petierunt filium Cosroæ Nomine Jezdagirdum qui fugerat a Siroa, atque eum Regem super se Constituerunt, cum Annos haberet 15: at Mohammedes prædecessor Abubecri Califæ, ut scribitur Ejusd. hist. Sarac. l. 1. c. 1. p. 9. obiit anno Eodem XI Hegiræ die lunæ qui 12 erat Rabii prioris seu 3.i Mensis Arabici, qui dies 12 incidit in feriam 2.am et 8.um Junii Diem anno 632. non itaque die 16 Ejusdem Mensis Persæ Regem Creare in Perside potuerunt Jsdegerdem ab Abubecro jam Jmperante dimissum, sed Epochæ Astronomicæ denominationem recipiunt ab insigni aliquo Casu qui toto Anni primi decursu Evenerit, non qui primo die Contigerit. Sic insignis Epocha Ægyptiorum Astronomorum quæ Philippi dicitur, non Cœpit a die quo obiit Alexander M. inauguratusque est Philippus Aridæus. nam Alexander mortuus est Mense attico Thargelione sub finem Dæsii Macedonici labente Maio Juliano proleptico, at Thoth anni primi æræ Philippi cœpit die 12 9bris anno Periodi Julianæ 4390 licet interierit tantum Alexander anno sequenti 4391 ut supra demonstravi ostendique æræ Philippi initium sex Mensium et amplius spatio diem emortualem Alexandri antevertere. pari ratione Epocha Hegiræ seu Migrationis Mohammedis cum Mecca Medinam fugit initium ducit a Neomenia Moharram primi Mensis Arabici. at Mohammed ingressus est tantum Medinam die 12 Rabii prioris seu 3.i Mensis Arabici sicque initium Epochæ Hegiræ verum diem Migrationis duorum Mensium et dimidii fere spatio prævenit imo apud Romanos Epocha Augustorum incœpit a Kal. januarii anni 726 V.C. licet Octavianus Cæsar ab omnibus Civibus appellatus non fuerit nisi 14 Kal. februar. ut Notat Censorinus lib. de die Nat. c. 21.

Usus Epochæ Isdegerdis et anni vagi Æquabilis post subactos ab Arabibus Persas quamvis istorum instituta Antiquata fuerint, tamen invaluit. licet autem Mohammedani religiose sua instituta apud Persas avitam eorum superstitionem abolere omnibus modis tentassent, attamen festa quædam quibus Persæ summopere indulgent auferre omnino per ipsos non licuit quod prospiciens inclytus Rex Gelaloddoala Selgiuckida ab Jsdegerdo annis solaribus 447 elapsis Caput anni retrogressione sua æquinoctio Verno appropinquasset dicti regis auspiciis Neuruz aliaque solemnes festivitates quibus Persæ addicti erant loco Commodissimo affixæ fuerunt, nova anni formaque Solis Motui quam Maxime responderet Excogitata atque invecta. eam intervallis quoque ita describit Cotboddinus Ex Versione Golii p. 32 et 33 Not. in Alfrag. æra autem regia denominata fuit a Rege Gelaloddaula Malieschah filio Albarselani Selgiukidæ, de quo hist. Saracen. l. 3. c. 8. Ejus Causa fuit ~~quæ Solis Motui quam Maxime responderet~~ quod Philosophi Complures ad illum Convenerunt, scilicet Omar, Khaiamus (i.e. Scenopegus) Philosophus item Laucareus (ita dictus a pago ad fluvium Bactrianæ Zariaspin et alii Numero octo et præter istos duos alii octo. Snedhamoddinus, inquit Golius etiam Nominat abdalrahimum haziræum eosque omnes a rege petiisse scribit ut loco intercalationis Persicæ

adhiberetur Græca, utque Caput anni in perpetuum adstringeretur Æquinoctio Verno) pergit Cotboddinus et ait: et instituerunt illi Gelaloddaulæ æram cujus principium esset Meridies post ingressum Solis in Arietem atque Neuruz dicerctur regium: ejusdem autem æræ anni sunt Solares Veri uti quoque ejus Menses. nimirum apud eos qui dies Ruita disponunt, ut ingressus Solis in Signorum Principia et ipsorum Mensium principia inter se Congruant. Sunt et Veræ seu Naturales anni tempestates. at Menses Artificiales obtinent apud illos qui singulos faciunt tricenorum dierum, ne in Calendarii paginis dierum Numerus discrepet, quinque autem illos dies adscititios fini Asfendarmond addunt (quod usurpatum non fuit a Vetustioribus juxta quos Epagomenæ fini Mensis Aban adhæserunt a tempore Jesdegerdis) æræ Vero hujus Mensis Nomina eadem tunc quæ Mensibus Persicis: at illa Cum adjectione Gelalæi, hæc Vero Cum adjectione Veteris, veluti frurdin gelalæus et frurdin Vetus.) ingressus autem fuerat illo tempore Sol in principium Arietis die 18 frurdin Veteris quem illi faciebant primum frurdin Gelalæi. et 18 illos dies habebant intercalares atque ita dicunt principium Epochæ Gelalææ esse Embolismum anni Melie Schahæum seu Gelalæum; quaternis autem quibusque Annis intercalant diem suntque Anni 366. atqui a pars anni reliqua paulo Minor est quadrante erit quoque quarti Anni intercalatio Minor die, atque ea propter Convenit ut intercalatio fieret Anno quinto nempe post quam intercalatum fuisset septies vel octies. Subjungit idem auctor quod quidem diligentiore Cura ac studio Cognoscitur, atque ita quoque principia Annorum hujus Epochæ Gelalææ scilicet & archore nempe Epilogismo, et Anomaliæ omnis Æquatione adhibitis.) si autem septimæ et Octavæ intercalationis alternatio observetur ad intercalandum Annum quintum sequentem, seu quod tantum dem Valet, si intercalatio Juliana modo 33 modo 37 et quidem alternatim prorsus omittantur cum hoc Persico seu Gelalæo Calendario optime Concordabit Gregorianum. hic quippe regundæ intercalationi talis præscriptus est modus, ut in Annis 400 tres Negligerentur bissexti quo intercalationis a Persis facta Emendatio quam proxime accedit. siquidem hic trium dierum defectus imputatur Annis 412. ibi Vero Annis 400. quam Calendarii formam Nedamoddinus asserit a Persis fuisse Constitutam secundum eam Anni quantitatem quæ a posterioribus astronomis deprehensa esset, eidem fere æqualem describit Ebn Schater Damascenus qui Annis 370 post Regem Gelalæum vixit. Annus Solaris, inquit, est dierum 365 cum quadrante minus parte una Centesima trigesima prima Nychthemeri juxta observationem Novam Nostro seculo institutam. ita Nempe fit ut annis 393 Consurgat idem dierum defectus, unde recte Concludit Eruditissimus Golius p. 35. Not in Alfrag. Methodum Gregorianam inter Persicam Gelalæam et Damascenam ab Ebn Schatere memoratam medium tenere.

De anno quo hæc Epocha Anni que forma nova instituta est Variant Auctores, ut testatur Princeps Vlugbeig c. 4. tract. de Epochis Celebrioribus. principium ejus Anni, inquit, apud alios est dies Solis (feria prima) quinto die Mensis Schaaban Anno Hegiræ 468. apud alios dies Veneris 10 die Ramadhan Anno Hegiræ 471. ita ut differentia sit 1090 dierum (addit Vlugbeig Causa hujus diversitatis Nobis ignota est. eam itaque nos frustra quæreremus. Verum hanc Epocham usu publico et perpetuo adhibitam fuisse statim atque instituta fuit, impossibile Videtur, nam si semper ab anno in Annum fuisset Numerata, hæc differentia 1094 dierum reperiri nunquam potuisset.) reformavit itaque Annum Gelalæus Rex. Annis autem plurimis abhinc Elapsis deducta fuit Exinde Epocha, cujus initium Varium est pro diversis et pugnantibus Chronologorum et autorum aliorum Sententiis quæ Examini Subjiciendæ sunt

primam Sententiam refert Vlugbeig, quam tamen ipse non sequitur, Epocham scilicet istam Cœpisse feria prima die quinta Mensis Schaaban Anno Hegiræ 468 qui Cœpit feria 1.ma die 16 Augusti An. Chr. 1075 juxta plurimorum Computum quibus adhæret Calvisius, et Exinde eodem Anno Hegiræ dies 5.tus octavi Mensis seu Schaaban incidit in feriam primam et diem 13 Martii Juliani An. 1076. et juxta Calculos Vlugbeig in feriam 2.dam et diem 14 Martii. hæc prima Sententia Vera esse Nequit, nam tunc Cœptus fuerat Jasdegirdicus 445 feriæ 6.ta et februarii die 27. unde feria 1.ma 3.a idus Martii Concurrebat cum 17 Phrurdin Vagi seu Veteris, at ut Ex gravissimorum Scriptorum testimonio Constat Cœpit Annus Gelalæus primus postquam ingressus est Sol in Arietem die 18 Phrurdin Veteris qui incidit non in feriam primam sed secundam Anno Hegiræ 468. juxta aliam Sententiam quam Sequitur Vlugbeig et Magis receptam fuisse asseverat Hæc Epocha Melitæa Cœpit Anno Hegiræ 491 decimo die Ramadhanis feria 6.ta Certe juxta Vlugbeig Calculos annus 471 Hegiræ Cœpit die 13 julii feria 6.ta et idcirco dies decimus Mensis Noni seu Ramadani incidit in feriam Septimam et 16. Martii Anni Æræ Christi 1079 quæ falsa et inter se pugnantia sunt, nec tribui debent Eruditissimo Principi, qui hunc Crassum Errorem admittere non potuit. (idcirco dies Mensis Ramadani Vitiatus a librariis est, sed Cum feriam Sextam Caracterem supponat Vlugbeig esse reperiendæ Epochæ Malitreæ Ejusdem que Certam et propriam Notam, huic feriæ si Calculos Principis Sequi Volumus firmiter adhærendum.) anno itaque Hegiræ 471. Christi 1079 Jasdegirdis Vero 447 Sol in Arietem ingressus est die 18 Pheruardin Veteris qui partem feriarum quintæ et Sextæ obtinebat. decem et octo illi dies pro Exemptitiis seu Embolimæis habiti sunt, ut supra ex Cotboddino docui, ergo circa Meridiem feria

Sexta die 15 Martii Cœpit Epocha Malicæa seu Gelalæa. hanc opinionem verissimam esse non ambigo, nam, ut supputat Petavius lib. XI de Doct. temporum Cap. 52. Æqui Noctium vernum Contigit anno Christi 1079 Alexandriæ Martii die 15 hora 1. Min. 24 post Mediam Noctem, unde sequitur Meridiei ejusdem sextæ feriæ Romanæ Nuruz Gelalæum Astronomos respexisse. Georgius Chrysococces Græcus tractatu inedito laudato tamen a Scaligero l. 3. Can. isagog. a Petavio Cap. Moyame citato 32 lib. XI et a Bulialdo in Astronomia Philolaica Eod. An. chr. 1078 initium ducere Epocham de qua agimus docet nos luculenter; asserit enim quod deductis ab Annis Mundi 6586 annis reliquum fore initium anni Malixæ seu Malic Schah Gelaloddaulæ. Expleti tunc igitur erant Anni Mundi 6586 juxta Æram Constantinopolitanam, in cujus que erat annus 6587 qui Cœpit Kal. Sept. An. Ch. 1078. Sed Chrysococcus in hoc Erravit quod utramque sententiam de initio Epochæ Malic Schah non bene distinxerit. tradit enim hanc Epocham initium duxisse a feria prima et die 13 Martii et Anno Constantinopolitano 6587. dies 13 Martii non incidit in feriam primam sed in quintam, neque in diem 18 Pheruardin veteris, sed 17 tantum at si primam sententiam quam supra ex Ulugbeig retuli admittamus Cœpit Epocha Malicæa seu Gelalæa anno Christi 1076 Hegiræ 468 Mundi juxta Constantinopolitanos 6584. die 18 Pheruardin anni Jsdegerdici 445 male quidem Petavius reponere voluit apud Georgium pro ἡμέρα α, ἡμέρα ε, nam multorum Orientalium sententia fuit Epocham hanc Cœpisse feria prima, ut ex testimonio Ulugbeig Principis liquet. Sed in eo Erravit Monachus Georgius quod utrumque systema imperite satis Coadunaverit ex uno enim annum, ex altero diem mensis et feriam elegit, at posterior sententia, ut Doctissimus Princeps Ulugbeig jam nos Certiores fecit magis est recepta et Merito quidem, nam 18 dies Pheruardin veteris cum hoc anno pro Epagomenis habiti fuerint, primum Nuruz anni Malicæi sequi immediate debet ultimam Epagomenam, incidit idcirco in 19 Pheruardin veteris non in 18 quæ Epagomena postrema fuit. unde Concludimus Nuruz Malicæum seu Gelalæum initium duxisse a feria 6.ta apud Mohammedanos sacra die 15 Martii Anno Æræ Christi 1079. Æræ Mundanæ Constantinopolitanorum 6587. Jsdegerdis 448. die 19 Pheruardin, Hegiræ autem 471. die 9 non 10 Ramadhanis.

Ut huic de Persarum Anno et Mensibus dissertationi finem imponamus, restat ut hic nonnulla addamus de Cappadocum Mensibus

quisidem cum Persis fuere, et quidem ut docet nos Herodotus l. 1. c. 72 Cappadoces Medorum primo postea Persarum ditionis fuere, siquidem, inquit scriptor iste, Imperium Medicum ac Lydum determinabat fluvius Halys qui ex Armeno Monte profluens primum Cilicas dehinc Matienos qui sunt ad dexteram, et Phrygas qui sunt ad lævam, tum Boream adversus tendens Syro Cappadocas (nam e Syris oriundos Cappadocas existimabant) Paphlagones que interfluit Cappadoces a dextra Paphlagones a sinistra perstringens. | Non mirum igitur quod Cappadoces vetustissimi Medorum atque Persarum clientes Dominorum Menses usurpaverint. Mensium autem Cappadocum nomina nobis servavit Græcus Anonymus, cujus codicem licet mendosum utilem tamen habuit Henricus Stephanus et ex eodem scriptore in app. Thesauri Col. 225 Mensium Nomina ista Cappadocia. | 1. Τιρι ξ Emenda Τιρι, Persis Tir. 2 Μαλα (Em. Μαρλαδ) Pers. Mordad. 3. Ξαναρθρη Em. Ξοαρηρι Pers. Schahrier. 4. Μιθρι Pers. Mihr. Mihr vero seu Mihr et Mithra utrumque Solem significat. 5 απομευαμα Em. απουμα Pers. Aban Mah seu Apon Mah. 6. Αρθρα Pers. Adur seu Adzar 7. Τελθβια (Em. Τειμα) Pers. Deimah (seu Teimah. 8. Ωβμωνια Em. Βωρμωνμα vel Ωβμωνμα Pers. Bahman mah. probabile autem habeo Cappadoces hunc mensem a Deo cœlo appellasse Φθρ διρμα 9 Σονδαρα (Em Σφονδαρμα Pers. Esphandarmodz mah. 10 Αρλαρια Em. Αρλαμα Pers. alio nomine dicitur Pheruardin Mah vel Phrurdin 11 Αρλαεσιν Em. Αρλαπεσι Pers. Arapescht. 12 Αραιοταλα Emenda Αρλαδμα seu Χαρλαδμα Pers. Chordad et Chortat Mah. | Corrupta fuere hæc Nomina fateor, sed tamen Persica sunt, nec minus in describendis Nominibus Mensium Judaicorum Hallucinati sunt Librarii Græci, ut pote qui monente Stephano loco citato scripserunt Θερβι pro Τιβρι. Μαρβοραν et Μορβααν pro Μαρχαβοραν. Σιεθοναν pro Σιβαν. Θαμνι et Θαμι pro Θαμουζ. Εβλαδ pro Αβ qui Errores fœdissimi sunt et non leviores iis quos in describendis Mensium Cappadocum Nominibus peccarunt, Mensem tamen Artania seu ut emendo Artama qui correspondet Persico Phrurdin aliter a Cappadocibus quam a Persis fuisse appellatum non dubito, scilicet a Cappadocibus nomine Magni Genii Ard seu Art, et forsan, ut jam innuimus Mensis qui diebus est a Persis Bahmen Mah appellatus est a Cappadocibus Osmon mah de Nomine Dei Cœli seu Urani Osmon, quæ vox quidem Hebraica et Chaldaica origine est, sed multa magi a Chaldæis desumpserant, nec idcirco Nomina Mensium Cappadocum a Persicis diversa dicas velim. Nam Cophtæ Ægypti

recentiores hodie Priscorum Ægyptiorum Mensium Nomina retinent nonnullis immutatis, sic Mechir Ægyptiorum dicitur a Coptis Amschir sicuti Phanemolt Barmahat, Pharmuti Barmuda, Pachon Baschnes Payni Beuna, Epiphi Abib, Pacophi Baba, nullus tamen recte concludet exinde Nomina Coptorum ab Ægyptiacis prorsus esse diversa, sed in Copticis Originem Ægyptiacam libenter agnoscet.





Index

Eorum quae in Hisce Dissertationibus tractantur



